BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
C
16
NAPOLI

XLVIII
C
16

BASILEA SACRA
SIVE
EPISCOPATVS
ET
EPISCOPORVM BASILEENSIVM ORIGO AC SERIES.

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

IOANNI CONRADO

AD SACRAM INAVGVRATIONEM,

A Collegio Bruntrutano Societatis IESV, ſingularis obſervantiæ & honoris ergò Dicata, Conſecrata.

Cum facultate Superiorum,

BRVNTRVTI,
Ex Typographia EPISCOPALI, apud Ioannem Henricum Straubhaar.
M. DC. LVIII.

NAPOLI

REVERENDISSIMO
AC ILLVSTRISSIMO
DOMINO, D.
IOANNI CONRADO
S. ROMANI IMPERII
PRINCIPI,
DIOECESIS BASILEENSIS
EPISCOPO PRIMVM
CONSECRATO,

Domino ſuo Clementiſſimo
Obſervandiſſimo.

H*Odierna te dies*, CONRADE PRINCEPS REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME, *quod felix fortunatúmq; eveniat! Baſileenſi pedo armauit Paſtorem, infulis auctoravit Antiſtitem, Principem Romano Imperio à Vi-*

caria Chriſti poteſtate in terris ſuprema confirmatum aſpexit. Cuius dignitatis magnitudinem, & ſublime adeo faſtigiũ, nullâ dicendi facultate exaggerandũ ſatis, nullis humanæ commendationis arctandũ limitibus, non in hac vrbe duntaxat, ſed & per reliquam Diœceſin, venerabundi, vt par eſt, gratulantur ſubditi, atq; cum annis plurimis felicitatem affectu propenſiſsimo, fauſtiſsimis acclamationibus perennem exoptant. At verò animos illorũ mirificis lætitiæ ſignificationibus exultantes nulla maior degravat ſollicitudo, quàm vt cum ſervitutis & obſervantiæ debitæ nota, ſuæ, quam de te conceperunt exiſtimationis argumenta præbeant.

Quæ ſanè tui tuorúmq; meritorum grata & jucunda recordatio effecit apud illos, vt inter confabulandum, eæ voces audirentur perfrequenter: factũ bonum!

vetis

votis annuit noſtris Deus, ſacris hodie ritibus inauguratus eſt CONRADVS, *Antiſtes Baſileenſis, quem non fortunæ calculus adminiſtrandæ Diœceſi, & ſacris iuxtim ac profanis rerum bene gerendarum gubernaculis admovit; ſed ſua eum merita & virtutes certatim elucentes, ad hanc honorũ ſublimitatem promoverunt. Hoc ornamentum, inquiunt, mereri voluit, nõ prenſare, maximè alienus ab ambitu dignitatis, cuius fulgor, niſi animo averſo, & generoſa tergiverſatione poſthabeatur, in cæcitatis & extremæ perniciei adducat periculum. Noverat Princeps noſter, ſub pellucida dignitatis bractea, onus latere graviſſimũ, cui nõ niſi robuſtos ſupponere humeros oporteret: atq; ideo, propitiando Numini, ſollicitandæq; heroicæ fortitudinis virtuti, primis ab electione diebus tot profuſæ lacrimæ, Symbolum utiq; ſecuturæ*

fertilitatis, & beatæ in uberrima pace adminiſtrationis. Quam ob rem, tota paſſim Diœceſis ſibi longè magis de R.^mo^ *& Ill.*^mo^ PRÆSVLE *debet gratulari, quàm ille de Epiſcopatu, per longã bellorũ ſeriem eneruato, propemodum attrito. Diœceſis uniuerſa debitis onerata, difficultatibus implexa plurimis, curarum ſpinis obſepta, Principum ſapientiſſimorũ induſtriâ frui, magna voluentium animo conſilijs ac voluntate necdum erigi poterat, necdum à naufragio fortunarum laceratas colligere tabulas, ob immatura plerumq; illorum fata. Iam verò, inſecuturæ amabili Pacis auroræ, his, inquã, ut ſpes eſt, melioribus temporibus, quid de hoc noſtro Antiſtite, quid de eius demiſſione animi & vitæ moderatione ſumma ſperare non liceat? Principem habemus, exclamant illi, cuius exacta diſciplina corruptam multis in lo-*

cis vitæ libertatem adſtringet, prudentia pericula antevertet, cuius imperium ſubditis leue, amor parentis in filios, Religio deniq; in publico non minùs admiranda, quàm imitabilis exempli. Hæc, aliáq; complura decora, REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME PRINCEPS, *in te ſuſpiciunt tui, mirantur, deprædicant, ſenſu gratulatorio, affectu tenerrimo, ſpe in te unum repoſitâ. Sed nulla virtus tua amabili dominatu ita expugnavit, ita ſibi deuinxit omnium animos, quàm ſupra omnem panegyrin eminentior tua ſingulariſſima Pietas, tibi cognata, non adventitia: cuius nimirum ut laudatiores forent olim & his noſtris temporibus opportuni progreſſus, auſpicatiſſimum in ipſa adoleſcentia exordiũ poſuiſti. Patietur libenter Celſitudinis Tuæ humanitas, ut, quod nôrunt pridem multi, ad-*

mirandæ Pietatis exemplum, toti poſteritati commendetur, nulla vnquã oblivione inobſcurandum. Calamitatum Germaniæ meminiſſe nemo poteſt, niſi dolenter; earum præſertim, quæ recurrentibus toties belli turbinibus, pervaſerunt Alſatiam, pulcherrimámq; inter omnes regionem, miſerandum in modũ deformârunt. Vt ſexcentas clades ſilentio præteream, in illuſtres maximè familias graſſatum fuit malorũ catenatus & confatalis nexus. Et quibus mitius videri potuit infortunium (niſi quò longius tormentum, eò gravius dici debeat) relictis arcibus & gentilitijs prædijs, exulandum fuit, & multis inopiâ, poſtquam defloruit priſtinus opum Nobilis ſplendor, etiã in ſolo peregrino pereundum. Nobiliſſimam familã de Roggenbach à bellicis furoribus in tutum quidem receptã locum, eadem premebant anguſtiæ.

Laborabat illa, poſt acciſos reditus, nullo magis, quàm tot capitũ cenſu, in maxima ſanè rerum penuria conſtituta. Hic mortalium nempe eſt curſus & ſtatus, ut opulentiſsimi ad incitas ſuis repente caſibus devoluantur; & egentiſſimi ad ampliſſimas fortunas emergant. Dũ verò familiæ nobiliſsimæ labantis ſuſtentaculũ intueor, Te inquã, Pinceps R.me, *in ipſa adoleſcentia, ſolertem iam, laborioſũ, induſtriúmq; Oeconomũ, in memoriã redit ſtrenuus ille Adoleſcens, Ægypti, poſtea ſuæq; deinde familiæ Servator Joſeph, dũ patris ſui Jacob imperio Gen. 37. fratres ſuos errabundus perquirebat:* fratres meos, *inquit,* quęro. *Tu Conrade Princeps, jã Pietate accreſcẽs filius, ut rectè haberẽt omnia circa ſãguine junctos, circa fratres amantiſsimos, circa parentem dulciſsimam, errabundus, jure eodem, quo Sanctiſſimus Patriarcha,*

vti verborum ſenſu poteras : Fratres meos quæro. *Ea nempe perurgeri te ſentiebas pietate, ut in tuæ familiæ gratiam, caput tuũ & latus periculis, humeros oneribus longè deportandis, pedes quandoq; malè tectos longis itineribus conficiendis, libenter & ultro concederes. Perfractis etiam graviſsimarum difficultatum repagulis, frequenter ſub madenti & frigido Cælo, ſola quandoque arborum tectus ac ſecurus opacitate, nullum baiuli laborem, nullã agricolæ induſtriã, dictante Pietate prætermiſiſti, vt vitã, Joſephus alter, tuis conſeruares, illi præſertim, à qua primam vitæ acceperas vſuram. Quid mirum igitur, ſi te fratres tui, numeroſa familia, ſacrâ dignitate coruſcantem ſolem, velut pronæ & tuis oneratæ pietatis officijs procumbentes ſtellæ, magnâ jam lætitiâ deuenerentur? Hoc potuit in te tua Joſephi*

palmaria

palmaria virtus, quæ vnica, ſacra atte-ſtante paginâ, celebratior omnibus apud DEVM *extitit. Ægyptum non minùs, quàm Iſraëlem paverat providentiſſima Joſephi Oeconomia, & tamen ſacer Codex inter reliqua Joſephi facinora, de ſola Charitate Iſraëli exhibitâ, & ſuppeditatis ipſi abundè alimentis, hoc loco meminit. Cur hoc? illa nempe Pietas tanta eſt, ut ſuo ſplendore, omnem aliam virtutis facem extinguat, & abſorbeat. En, vt divinum loquitur oraculum! Geneſ. 49.* Sedit in forti arcus eius, diſſoluta vincula ſunt brachiorum & manuum per manum potentis Iacob: inde Paſtor egreſſus eſt, lapis Iſraël, DEVS patris tui erit adiutor tuus. *Liceat & mihi cum debita ſacræ paginæ reverentia, aptare tibi Joſephinum encomium,* CONRADE PRINCEPS REVERENDISSIME

Num-

Numquid enim ſedit in forti arcus tuus? Tu arcum tuum, ſpes tuas in Deo fortiſſimo defixiſti; ſtare tuum fuit, non animo in gravibus periculis concidere, nunquam elangueſcere à contentiſſimis Pietatis ſtudiis. Diſſoluta ſunt brachia & manus: nullus conſtrinxit timor; quin opem tuis porrigeres liberaliter, mercedémq; à Deo porrectâ manu, copioſiorem ſubinde reciperes. Atq; ubi deſævijt atra bellorũ tempeſtas, Paſtori vigilantiſſimo fideliũ grex non modicus committitur, divinis paſcendus Myſterijs, in Orthodoxa diſciplina & avitâ religione conſervandus. Hinc Paſtor ſacer, à ſua Pietate & Lapis ſimul, in cuius robuſtã conſtantiam ſiniſtra adverſitates incurrere poſſint quidem; at, veluti procelloſi maris fluctus, valido fremitu, cautibus impacti, innoxiè recedant. Atq;, vt de Joſepho, cui te ſimillimũ oſtendimus,

dimus, Ill.me Princeps, *plura non dicamus; Ioſephi frater Iudas, feliciſſimi regni auſpiciũ ſumpſit ab inſigni obſervantia & pietate ſuo parenti Iacob ſenio iã facto exhibitâ præ cæteris fratribus: ex cuius proinde Iudæ meritis, regnatrix domus David, Sceptrũ regium tot annis tenuit.* Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, Geneſ. 39. *An non & ipſe Saul, vt alia ſacra, profanáq; exempla taceã ſexcenta, in re viliſſima, quod erat aſinas patris Cis quærere, Sceptrum conſecutus eſt? ecce vir, quem tibi oſtendi (ô Samuel)* iſte dominabitur populo. *Ita ſcilicet ad Sceptra, ad infulas, ad omnia utilis eſt Pietas. Illa virtus præcellens, præter aliarum comitatum, indubiè te Principem deſignabat: vt eſſes Princeps,*

conſpi-

conſpirârunt eorum vota & calculi, penes quos, veteri more, fuit tua ad dignitatem ſacram aſſertio, Canonicorum nempe Cathedralis Eccleſiæ Baſileenſis, quorum nomina hæc ſunt.

Thomas Henrici, Suffraganeus & Decanus Eccl. Baſil. & ad S. Vrſicinum Præpoſitus.
Ioannes Theodoricus Nagel, de Altenſchônenſtein, Cantor.
Wilhelmus Iacobus Rinck à Baldenſtein, Cuſtos.
Henricus Chriſtophorus à Liebenfels, Scholaſticus, nunc Præpoſitus.
Ioannes Ludovicus à Schônavv, nunc Archidiac.
Franciſcus à Râmerſtal.
Franciſcus Wolfgangus Schenck à Caſtel.
Tres abſentes, Franc. Wernerus Segeſſer de Bruneg. Io. Carolus Humbis à Waldrams, & Burcardus Schenck à Caſtel, ſua ſuffragia, eorũ qui aderãt, arbitrio, iudicióq; Collegarum permiſerunt.

poſtri: *Illi igitur, * die S. Thomæ Apoſtoli, Anno M. DC. LVI. Delemonti, electum Te legitimè ſuum Principem conſalutârunt, eo plauſu & communis lætitiæ ſignificatione, quam hodie ad Ale-*

xandri

xandri Maximi Pontificis annutu factã Confirmationem, Tuámq; Conſecrationem, in omnium animis inſtaurari video.

In his profectò ampliſsimis tibi gratulandi argumentis, ingrato prorſus obmuteſcere ſilentio, nequaquam poſſumus aut debemus, tuis obnoxij devótiq; obſequijs. Et verò Celſitudinis Tuæ humanitas & benevolentia in nos pluribus conteſtata luculentis ſignis, iure ſuo repoſcit hodie, ut in partem gratulationis veniamus, ac reciproco teſtimonio, non quale optet volũtas, ſed quale ſinat facultas noſtra, animum affectúmq; noſtrum tibi vectigalem exhibeamus. Munuſculum eſt litterarium, ſi non tibi, nulli debitum: Libellus, cuius frontem ſi aſpicere Tua Celſitudo non dedignabitur, repudiari non poterit. Eſt enim Baſilea Sacra, quæ fuit ſaltem, eſſétq; etiamnum, ſi ſacris Antiſtitibus debitam

ſubiectionem, orthodoxámq; fidem, perinde ac ſolum Paſtorale pedum pro ſuis inſignibus retineret: ſed, ut de nomine litem non moveam, ſit, dicatúrq; liber Series Epiſcoporum Baſileenſium, ad Te nunc devoluta, & rerum ſub ipſis geſtarum ducta catena, quæ dum Tuam Celſitudinem noſtro debitæ obſervantiæ ſtudiô adſtringit, non niſi minimâ officij parte nos abſolvere poteſt: nulla re magnus, niſi charactere, præſertim tributariæ gratitudinis, cuius Interpretes volumus ſetuaginta duos Epiſcopos Baſileenſes, tuos Anteceſſores. Ut porrò de Authore libri huius conſtet: labor fuit & exacta diligentia P. Claudij Sudani, viri è Societate integerrimi. Is à Joan. Henrico Epiſcopo ab Oſtein, cui à ſacris confeſſionibus erat, in arcem Pyrſecenſem ob Martios furores patriam miſerè funeſtantes unà iuſſus ſecedere,

cedere, ne otioſam duceret vitam, animũ adiecit Synopſi colligendæ rerum ab Epiſcopis Baſileenſibus geſtarum; & quod in aliis Epiſcopatibus multi iam fecerant operâ laudabili Scriptores, non infeliciter abſolvit, vetuſta monumenta, è variis tabulariis eruendo, & Codices M.S. authoréſq; complures pervoluendo. Poſt multos deinde annos, multis etiam additamentis auctior factus, & quoad licuit, emendatior, quia non indignus luce viſus eſt, prælo denegari diutius minimè debuit. Efficiet fortè ſua brevitate apud Tuam Celſitudinem, vt ſucciſivis horis, aliquot pagellæ perlegantur, cùm aliàs voluminis amplitudo occupatum graviſſimis negotiis deterrere poſſet. Videbit Tua Celſitudo in Anteceſſoribus perſtricta leviter exempla, quæ longè meliùs, ac longa præcepta ad bene regendum ſacros etiam

vires

viros inſtruant. Quod ſi nonnullam vitioſitatis labem in quibuſdam diſsimulare non potuerint hiſtoriæ leges, Tua virtus CONRADE PRINCEPS, *veluti colore & velo nobiliore conteget; defectus tua redintegrabit integritas. Sed libelli huius vtilitatẽ nemo diſertius cõmendare poteſt, quàm celebratiſsimus ille Scriptor Carolus Sigonius in præfatione de Bononienſibus Epiſcopis, cuius verba & Sententiam audire lubeat.* Etenim, *inquit,* antiqua dignitatis Epiſcopalis in urbe aliqua inſtitutio, vetuſtam ſanè Chriſti fidelium in ea floruiſſe copiam arguit, & continuata Antiſtitum in eadem per ſingula temporum intervalla ſucceſſio, haud dubiè, perpetuo & nunquã interrupto tenore, fidem ibi Catholicam celebratam oſtendit adverſus eos, qui temerè vetuſtum hunc do-

ctrinæ ordinem perturbare & diverſa aliquando, atque nunc, in Eccleſia tradita eſſe dogmata docere contendunt. Itaque priſci illi ſanctæ Eccleſię Proceres, viri longè omniū prudentiſsimi, non ſine ratione ſanxerunt, ut eis maximè Civitatibus Epiſcopi traderentur, apud quos multitudo fidelium ſuccreviſſet, & quia continētem Catholicorum Antiſtitū ſeriem ad confutandas hęreſes inprimis pertinere putârunt, non ſolùm nomina ſingulorū in tabulas baſilicarum referri, ſed etiam eorū imagines in ſuis effingi Epiſcopiis voluerunt. Neq; id ab re: ſunt enim Epiſcopi Apoſtolorum, quos Eccleſia filios quidem genuit, verùm à populis coli loco parentum inſtituit, ut quamvis Apoſtolos non viderent, tamen Apoſtolis

omnino ſe non carere ſentirent. Vnde S. Aug. in Pſ. 44. dixit ad Eccleſiã. *Ne putes te deſertam, quia non vides Paulum, quia non vides Petrum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua crevit tibi paternitas: pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Quis autem dubitat, crebrâ recordatione, conſpectúque parentum, filios ipſos ad honeſtam eorum imitationem invitari, & ad ſalutarem ſimul æmulationem accendi? *Quibus viri ſapientiſſimi verbis nihil áddo, nihil detraho: ſat enim demonſtrat, piam, vtilémq; illorum eſſe operã, qui obſoleta vetuſtæ religionis monumenta indagârunt, ipſáq; poſteris tranſmittenda exiſtimârunt. Quare poſt oblatum debitæ gratulationis qualecúmq; pignus, cum devota animi ſubmiſſione Celſi-*

tudinis Tuæ manus oſculati, impenſè rogamus, ut Collegium hoc à R.mo Principe Blarero fundatum, ab aliis deinde Principibus totóq; Baſileenſium Canonicorum illuſtriſſimo Collegio nunquã non, favore, curâ, & patrocinio ſingulari conſervatũ, Pietatis innatæ, & quam experti hactenus ſumus, benevolentiæ ſinu ampliſſimo cõplectaris. Noſtrũ erit tua agnoſcere beneficia, obſequi gratitudini, obtemperare nutibus, Cœlites deniq; invocare frequenter, ut Celſitudinem Tuam, quàm diutiſſimè incolumem ſervent. Bruntruti, Anno M. DC. LVIII.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ
Celſitudinis Tuæ

Humillimè devotum

Collegium Bruntrutanum
Societatis IESV.

BEnevole Lector, Baſileam ſacram in lucem damus, non profanam, illámque ſcriptam brevi ſtylo, narratione ſuccinctâ, quæ hiſtoriæ minimè neceſſarias lacinias præciderit, & longiores evagationes conſultò inhibuerit. Proinde, ne tua curioſitas hìc expectet Antiquitatum copiam, quâ aliorum Authorum prolixitas tuam exſaturare famem poſſit. Fateor tamen, jeiunam hanc brevitatem inde quoque proveniſſe, quod Antiqui Scriptores, præſertim verò primis ſæculis & pauci & non ſatis accurati de quibuſdam Epiſcopis Baſileenſibus, præter ſolum ferè nomen, aliud nihil memoriæ prodiderint. Propoſiti noſtri una fuit ratio, ut huius Diœceſis, Eccleſiaſtici præſertim viri, quibus ad manum grandiora non ſint volumina, fortè etiam faſtidium creet ſpatioſa hiſtoriarum ubertas, magis neceſſariam eorum notitiam eruditionémque acciperent, quæ ignorare indecorum, ſcire pulchrum, in familiaria verò colloquia inferre, pium ſit, utile prorſus, ac ſaluberrimum. Res quidem Baſileenſes eruditè pertractavit Vrſtiſius, alios ſecutus Authores: ſed quia promiſcuè habet ſacras & profanas, moleſtum erit illi, qui nonniſi ſacræ lectionis delectum exoptat. Deinde, cùm hic Author Germanico idiomate ſcribat, eius Codex ſubſervire non poteſt pleriſq; in hac Diœceſi ſacerdotibus, qui tantum Gallicè callent. Accedit, quòd eius narratio, quandoque minùs pura fluat, velut aqua per vitiatum canalem traducta;

cta; potiſſimùm ubi agitur de mutatione Religionis, ſacris ritibus &c. Alterum eſt, quod te monitum velim, candide Lector, nos uti quibuſdam ſubinde vocabulis, quæ licet vetuſtæ Latinitati haud ſatis conſonent, receptæ tamen loquendi conſuetudini ſint accommodatiora. Alia verò diverſimodè ſcribuntur ab Authoribus: quod & nos abſque religione fecimus. Huiuſmodi ſunt, Biſuntum, Biſuntium, Veſontio: Biſuntinus, Biſontinus, Veſontinenſis - Rauricus, Rauracus, Rauricenſis, Rauracenſis, &c. Denique Chronologiam ſubinde, propter rationes utrimque pugnantes, non ita probari poſſe, ut convincat. Si tua eruditio, quod fortè difficile non erit, errores oſtenderit, noſtros perlubenter dedocebimur, te veritatis hiſtoricæ, quam ſectati, ſi non aſſecuti ſumus, feliciorem Aſſertorem venerabimur. Nævos etiam Typographicos, quos ad libri calcem annotavimus, tua, ſpero, condonabit humanitas.

BASILEAE

BASILEÆ SACRÆ

SIVE

EPISCOPATVS ET EPISCOPORVM BASILEENSIVM ORIGO AC SERIES.

PRima & antiquiſsima Epiſcopatûs Baſileenſis origo inveſtiganda priùs, quàm Epiſcoporum, & geſtarum in Diœceſi rerum ſeries aliqua, & ſuccincta narratio contexatur. Vix tamen deprehendi poterit illa, in dubia ſolùm veritatis luce, & obſcuris opinabilium umbris, quemadmodum fluviorum ſæpe inacceſſa eſt ſcaturigo. Nec enim ſatis conſtare poteſt, quinam ante annum Chriſti trecenteſimum, veri Numinis cultum procurârint apud Rauracos, eorúmque

vicinos Sequanos, ſive (ut vocantur hodie) Sundgoios & ſuperiores Alſatas: tum quod ferreum ſæculum literis infœcundum, Celtarum mores, & vitæ genus aſperum, poſthabitâ omni poſteritatis erudiendæ curâ, literas averſaretur eo tempore; tum etiam, quòd barbararum gentium crebris in citeriorem Rheni ripam excurſionibus, priſci ævi monumenta, unà cum ipſis urbibus, ferro flammíſque abſumpta perierint. Múlta tamen ſunt, quæ veriſimile faciant, Rauracos & Sequanos inferiores, ſtatim initio naſcentis Eccleſiæ, Evangelij lucem, Româ in Gallias illatam, inter primos aſpexiſſe. Innocentius Papa Epiſt. 1. ad Decentium: *Manifeſtum*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſuláſque interiacentes, nullum inſti-*

inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes. Irenæus S. Polycarpi diſcipulus lib. 1. adverſùs hæreſes, affirmat, ſua ætate, Eccleſias in Germania, & Celtis, illis ſcilicet populis, qui Dione teſte lib. 39. utramque Rheni ripam incolebant, erectas jam fuiſſe. Cùm enim S. Petrus Anno Chriſti 44. Claudij Imperatoris 2. Romæ ſedem fixiſſet, biennij ſpatio, vigilantiſſim' Paſtor, velut in altiore ſpecula conſtitutus, percurſans quidem omnia, ſingulari contentione tamen circumſpexit, ut ceteras occidentalis orbis partes Chriſti ovili adijceret; diviſâ hunc in finem ſuos inter diſcipulos curâ & labore. Ita Martialis ſortitus eſt Lemovicenſes, Toloſanos ac Burdigalenſes: Maternus & Valerius ad Tribocos, Trevirenſes, Colonienſes, Tungros, &c. ablegati.

Anno Christi 44

Anno Christi 44 gati. Vienna & Moguntia excolenda Creſcenti obtigit. Qua de re plura Baronius tom.1. addens ex Metaphraſte, S. Petrum, ſub annum 58. Occidentalem orbem Evangelio prædicando peragrâſſe & ad Britannos uſque penetrâſſe.

Vetus fama eſt, S. Maternum cum Valerio Diacono, & Euchario Epiſcopo, Româ in Gallias miſſum à S. Petro, priùs doctrinam Euangelicam Rauracis & Sequanis prædicâſſe, quàm ad inferiores Rheni urbes deſcenderet. Eucharij equidem Epiſcopi & Confeſſóris celebrem facit memoriam Eccleſia Baſileenſis, octavo Decembris. Apud Hellum etiam, ſeu Elegiæ Caſtellum, tribus infra Elcebum, ſeu Seleſtadium milliaribus, extat etiamnum Sandapila, ſive conditorium ſepulchrale, in quo jacuerit mortuus, dum, ſocij Romam regreſſi, baculum, à S. Petro affer-

afferrent, mirè prodigioſum, utpote, cuius attactus vitam cadaveri poſt quadrageſimum diem exanimi reſtituerit. Hiſtoriam copioſiùs refert Beatus Rhenanus lib. 2. & 3. rerum German. Iodocus Coccius Societatis IESV lib. 3. Panegyrici Leopoldiani c. 2. & Petrus Cratepolius de SS. Germaniæ pag. 106. Poſt S. Maternum, Evangelij ſementem apud Rauracos excolendam ſuſcepit S. Beatus natione Britannus, prædicatione S. Barnabæ Chriſto genitus, & ſubinde Romæ ſacerdotio initiatus à S. Petro, cuius imperio, ad Tranſalpinos populos ſe contulit, magnóque ſtudio Helvetijs, viciníſque Arolæ fluminis accolis, Chriſti colendi ritus tradidit. Eius vitam Germanico idiomate conſcripſit P. Petrus Caniſius Societatis IESV; & poſt illum Henricus Murer Carthuſianus in Helvetia Sancta, aliique plures

Anno Christi 44.

Anno Christi 44 plures ab ipſo relati, nominatim Franciſcus Guillimannus lib. 1. rerum Helvet. & lib 2. Habſpurg. c. .. Ceterùm non videntur primi illi veritatis Evangelicæ aſſertores uno in loco ita conſtitiſſe, dominantibus latè Romanis, quin, ubi res ferret, flagrans animarum ſtudium ad vicinas gentes extenderent, non infrequentibus excurſionibus; ſive ut tyrannorum perſecutiones declinarent; *ſive, ut pluribus* creditum ſibi munus impertirent. Ita Creſcentem Vienna & Moguntia ſibi vendicant: Martialis Lemovicis, Burdigalæ & Pictavis Chriſtum annunciavit. Maternus, ut credibile eſt, eâ occaſione, ultra Rauracos, Sequanos ac Tribocos, ad Trevirenſes, Vangiones, Nemetes, Agrippinenſes, Tungros, Eburones Chriſti victricia ſigna protulit, de quo hìc minimè prætermittendum, quod citato loco

loco refert Coccius ex Aegidio, in *Anni*
geſtis Leodienſibus&Tungrenſium *Chriſti*
Epiſcoporum: accidiſſe nimirum, [illegible]
vi humanâ maiore, ut, cùm vir Apoſtolicus tot Eccleſiarum amplitudini unus non ſufficeret, nocte Chriſto naſcenti, die item reſurgenti ſacrâ, Ductore Angelo, Treviris, Coloniæ, & Tungris rem divinam peregerit.

Et hinc veriſimile eſt, Antiſtitum Veſontinenſium curam & induſtriam ad ipſos quoque Sequanos & Rauracos ſeſe utiliter porrexiſſe. Certè, quemadmodum maximæ Sequaniæ Præſes, tribunali Veſontione erecto, tunc temporis jus dicebat: ita videnturChriſtianorum ſacri Antiſtites ad eoſdem Romanorum Provinciales Chriſto aggregandos animum ſtudiúmque intendiſſe.

Coniecturam certiorem reddit auctoritas Socratis, qui lib. 7. c. 30.

 ſcribit,

anre. ſcribit, Rauracos per quemdam Galliſti liæ Epiſcopum ad fidem converſos.
44 Et Beatus Rhenanus in Baſilea lib. 3. exiſtimat Baſileenſis Epiſcopi tractum multis annis in Biſuntinæ Eccleſiæ Diœceſi ſeu adminiſtratione fuiſſe, uſque ad Francicarum legum ſanctionem, quâ ſingulæ Civitates ſuos habere Epiſcopos jubentur. Creſcente nimirum Chriſtianorum numero, neceſſe omnino fuit eorumdem curam pluribus demandare. Argumento etiam eſſe poſſit, quod Epiſcopi Baſileenſes Archiepiſcopo Biſuntino Suffraganeorum titulo ſubſint. Vnde liquet, ſi primis ſæculis ſacros veræ religionis ritus & doctrinam Veſontione importatam receperunt Rauraci & Alſatæ, poterunt & illi æquiſſimo jure ſuos dicere, quos Biſuntini, Patres & Apoſtolos avito cultu & veneratione agnoſcunt, à Ioanne Iacobo Chiffletio

tio part. 2. Veſontionis ex vetuſtis monumentis eruditè recenſitos. Horum quidem primum Linum, è numero 72. Chriſti diſcipulorum à S. Petro ad Veſontinenſes miſſum anno 54. quibus ad Chriſtum perducendis poſito anni ſpatio, & æde interim S. Protomartyri Stephano conſecratâ, ab Ethnicis pulſus, ac poſt ſuum Romam reditum, ſuprema dignitate Pontificia inſignitus S. Petro ſucceſſit.

Anno Chriſti 54.

Qui verò deinceps Veſontione rem Chriſtianam ſuſtinuerint aut promoverint, iniquiſſimis temporibus, nullis conſignatum tabulis certò reperitur, uſque ad tempora SS. Martyrum Ferreoli & Ferrutij, quos S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, exempli & fidei lucem eò circumferre juſſerat. De his agit Breviar. Veſont. & Surius 16. Iunij & 26. Aprilis. Chiffletius paſſos cenſet anno 214.

Anno Chriſti 284 II. Biſuntinus Epiſcopus eſt Maximinus, qui à Caio Pontifice inauguratus, ab Anno 284. ad 296. Veſontinenſem rexit Eccleſiam, & in æde S. Stephani ad elegantiorem formam à ſe reſtauratâ Clericorum Collegium inſtituit: cui cùm annos ſex præfuiſſet, in eremo ducendam impoſterum vitam privatam excuſſo publicæ dignitatis & curarum onere adamauit, ea virtutum famâ latè ſparſa, quæ ipſi, ut viro ſancto cultum publicum mereretur. Colitur autem apud Veſontinenſes 29. Maij, in quem diem incidit alterius quoque Maximini feſtivitas, Trevirenſis Epiſcopi, ſancto Athanaſio coævi, adeoque noſtro poſterioris.

292 III. Paulinus. Et hic anno 292. quo apud Agaunum Thebæorum legio decimata, ſanguine ſuo glorioſe Chriſto ſubſcripſit, in Maximini ſolitudinem tantiſper conceſſit,

unde

unde poſtliminio Veſontionem redux obiit anno 310. *Anno Chriſti* 310

I V. S. Euſebius Romanæ Eccleſiæ Diaconus à S. Melchiade Pontifice miſſus Biſuntinis Epiſcopus, annis duobus, menſibus ſex, poſt multos labores in ea vinea expurgànda à nefariis Idololatriæ erroribus, ad Beatorum quietem evocatus, ſui corporis lipſana charum poſteris reliquit pignus, in æde honori S. Petri priùs à ſe conſtructa ſepultus, anno 314.

V. S. Hilarius, S. Sylveſtri juſſu 314.
ſub annum 314. Biſuntinis præficitur. Is ipſe eſt, quo-cum multa de divinis rebus egit Conſtantini mater Helena & nomine & virtute Chriſtiana Reginarum facilè prima, iis utique deinceps uſa conſiliis, quæ S. Hilarius pio Zelo incenſus ſuggeſſerat, cùm illa inſtituti itineris occaſione ſacram Divo Stephano Baſi-

Anno Chriſti 330. Baſilicam religioſè inviſeret. Obiit S. Hilarius XI. Calendas Aug. anno 330. ſanctorum numero adſcriptus in Martyrologio 10. Martij.

VI. Pancharius ſeu Pancratius à Iulio I. conſecratus Epiſcopus. Interfuit anno 346. ſynodo Agrippinenſi. Ab Arrianis deinde gravia paſſus, obiit anno 356.

345. Aureo Conſtantini Magni ſeculo, prout authenticis compertum eſt monumentis, propriis gaudebant Epiſcopis Rauraci, nomen vel à gente vel ab Auguſta Rauracorum ſortitis. Everſâ deinde Auguſtâ Rauricorum vel ab Allemannis circa annum Chriſti 360. vel ab Hunnis poſt annum 451. non ampliùs Rauricorum; ſive Rauracenſes, ſed ab exoriente Baſilea, Epiſcopi Baſileenſes cognominati ſunt.

IV-

IVSTINIANVS

Rauracorum Epiſcopus

I.

INterfuit Concilio Colonienſi anno 346. contra Euphratam malè de Chriſti divinitate ſentientem. Verba Iuſtiniani in actis eius Concilii hæc referuntur tomo 1. Concil. Iuſtinianus dixit: *Exempla Clericorum Agrippinenſium, necnon & Fratrum per ſingula caſtra conſtitutorum, quorum ſubſcriptiones & epiſtolæ tenentur, cognovimus Euphratam eſſe blaſphemum, qui Chriſtum ſalvatorem noſtrum Deum eſſe negat. Quapropter & ego conſentio illum ab Eccleſia Catholica eſſe damnatum.* *Anno Chriſti 346.*

Interfuit idem Iuſtinianus cum 34. Galliæ Epiſcopis Oecumenico Concilio Sardicenſi ad cognoſcen-

dam

Anno Chriſti 346. dam S. Athanaſij cauſam, qui Apologia 2. omnium Epiſcoporum nomina recenſet, aſſerítque, 344. fuiſſe Epiſcopos, qui ei ſynodo ſubſcripſerant. Agit de utroque Concilio Baronius (quamvis de primo nonnihil ambigere videatur) tom. 3. ad annum Chriſti 346. & ſeq.

Ante Iuſtinianum verò in Rauracia viguiſſe religionem Chriſtianam vel ex eo colligitur, quòd apud Ven. Bedam tom. 3. apud Surium & Lippeloum 18. Octob. in vita S. Iuſti mart. legitur, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ante Conſtantinum, Rictiouarus Præfectus in Gallias miſſus, immanem in Chriſtianos exercuiſſe tyrannidem, & eorum complures Baſileæ in aquis præfocatos Martyrum laureâ donâſſe. Verùm, ordo ſucceſſionis eorum qui antè & poſt vixerint unà cum nominibus & actis, temporum in-

injuriâ exciderunt,ita ut nullius memoria in Epiſcoporum Catalogis, aliiſve priſcis monumentis extet, præterquam S. Pantali, quem vulgò primum vocant Epiſcopum Baſileenſium, martyrij coronâ illuſtrem. *Anno Chriſti 346.*

S. PANTALVS

Rauracorum Epiſcopus *I I.*

S. Pantalum (ſi Iacobo Mennels credimus) è Comitum Froburgenſium proſapia & numero ſanctorum Habſpurgici ſanguinis, apud Agrippinenſes Vbios extremum ſupplicium tuendæ fidei gratiâ fortiter tuliſſe, unà cum undecim Virginum millibus, paris triumphi conſortem, teſtantur Bonfinius Decad. 2. lib. 1. Petrus de Natalibus Epiſcopus Eſquilinus lib. 9. c. 87. Petrus Cratepolius lib. 1. de Germaniæ Epiſco-

ſco-

Anno Chriſti 346. ſcopis. quorum teſtimonio accedit continuata hactenus traditio Baſileenſis Eccleſiæ, quæ XII. Octob. in Breviario, Miſſâ, & Martyrologio, Antiſtitis huius ſui memoriam ritu, ut vocant, duplici, celebrat, eiúſque venerandum caput Coloniâ tranſlatum Baſileam VI. Id. oct. ad hunc uſque diem aſſervatur. Addit Cratepolius S.Pantalum in Biſuntina Eccleſia prius initiatum, cœptam inde Diœceſin novam Evangelico præconio, in vera fide & divinis humanæ ſalutis myſteriis, non modò confirmâſſe ſed etiam magnis incrementis propagâſſe. Sancti viri cineres ſacri jacent in æde Machabæis Heroibus dicata Coloniæ extra antiquæ urbis mœnia, juxta illam plateam, quæ ob SS.Virginum ſtragem, à poſteris platea ſanguinis appellatur. Eodem ferè ſenſu Lect. I V. Proprij Baſileenſis, ut vocamus

com-

communiter, ad XII. Octob. ſancti Pantali vitam breviter ita perſtringit. *Anno Chriſti 346.* *S. Pantalus omni virtutum & literarum genere ornatus, Eccleſiæ Baſileenſi Epiſcopus conſtitutus, omnia veri & boni Paſtoris officia diligenter implevit. Chriſtianæ verò religioni propagandæ adeo deditus fuit, ut nihil, quod ad ipſam augendam pertinere judicabat, etiam certiſſimo vitæ propoſito periculo intermiſerit. Tandem rebus in Eccleſia ritè diſpoſitis, ſecundo flumine Coloniam delatus, ab Hunnis tum Germaniam vaſtantibus, pro Chriſti nomine, cum S. Urſula, & reliquo illo ſacrarum Virginum Choro trucidatus eſt. Corpus eius apud Machabæos honorificè aſſervatur. Caput inde Baſileam tranſlatum eſt VI. Idus Oct. quo die ſolemnis eius recolitur memoria.*

Anno Chriſt. 346 Et quamvis ſatis certum videtur, ſanctum Præſulem Pantalum unà cum undecim millibus Virginum, affectum Martyrio fuiſſe: controvertunt tamen inter ſe pugnantibus ſententiis hiſtorici, quo id tempore, quove anno acciderit. Exiſtimant nonnulli, Virginum, adeoque & S. Pantali fuſum barbarorum immanitate ſanguinem anno Chriſti 238. Verùm à Baronio refelluntur tom. 2. ad annum 237. & Cranzio in Metropoli, nec immeritò. Quotquot enim è veteribus hanc hiſtoriam vel leviter attigerunt, unanimi conſenſu aſſerunt, Virginum hoc ſodalitium interremptum ab Hunnis; quæ tamen gens ea ætate in Gallia & Italia penitùs incognita fuerit. Nam 140. pòſt annis, Hunni (quemadmodum veterum teſtimonio tom. 4. oſtendit Baronius) ſub annum 376. regiones trans Iſtrum ſitas, innumera-

numerabilibus copiis primùm in- 'nno Chr ſti
undàrunt, permittente id Valente 3[illegible]
Imperatore, cuius indulgentiâ, uti per legatos ſuos illi petierant, Thraciam licenter occupàrunt. Ammianus Marcellinus, ſub Conſtantio, Iuliano, Valente & Gratiano, & miles & clarus ſui temporis ſcriptor, ita de Hunnis l. 31. loquitur. *Hunnorum gens veteribus monumentis leviter nota, ultra paludes Mæotidas glacialem Oceanum accolens, vagabundi vſque Achaiam pervenerunt, Gratiano IV. & Merobaude Coſſ. anno 377.* Eorum inde mores depingit, belláque cum Gothis geſta. Thracia nimirum & toto pene Oriente, uſque novis attrito cladibus, occiſo Valente Imperatore, totóque exercitu Romano prope Adrianopolim fugato, cùm eam urbem & Conſtantinopolim fruſtra tentâſſent,

Anno Chriſti 346 mutatis conſiliis, per ſubiectas ſeptentrioni Provincias effuſi, immenſis graves ſpoliis & prædis, & ad ipſas Alpium Iulianarum radices, quas Antiquitas olim Venetas appellabat, facilè pervenerunt. S. Hieronymus eiuſdem ætatis, de hac prima Hunnorum eruptione, ita ſcribit ad Oceanum de morte Fabiolæ. *Ecce, ſubitò diſcurrentibus Nunciis, Oriens totus intremuit, ab ultima Mæotide, inter glacialem Tanaim & Maſſagetarum immanes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent, erupiſſe Hunnorum examina quæ pernicibus equis, huc illúcque volitantia, cædis pariter & terroris omnia complerent.*

Ex quibus evidens eſt, S. Vrſulam anno 238. non eſſe ab Hunnis interfectam, quandoquidem ea gens

gens primùm anno 376. Romanas Provincias bello infeſtare cœperit. Ad hæc, quis ſibi perſuadeat (quod tamen aſſerunt nonnulli) anno 238. quo Maximinus tertiam poſt Neronem & Domitianum perſecutionem in Chriſtianos crudelis exercebat, teſte Euſebio lib. 6. c. 20. tot Virginum millia, dum cladibus paſſim & incendiis fœdum in modum devaſtarentur Romanæ Provinciæ, per media pericula Romam pietatis cauſa, penetrare temerè adeo voluiſſe? Certè ea tempora non erant, quibus longinquum hoc iter eas ſuſcipere conveniret, cùm & ipſi Pontifices ſupremi, tribus poſt Chriſtum ſæculis, ſe, & ſacra cryptis & locis ſecretioribus, contra Gentiliũ Imperatorum iniurias, & militum furorem tutiùs illatebrarent. Accedit, quòd probabiliter eâ ætate, ſtante adhuc & florente Rauracorum

Anno Chriſti 346.

Anno Chriſti 450 Auguſtâ, nulladum fuerit Baſilea, cuius ſcilicet ſolo caſtri nomine, tunc temporis, prima extet memoria apud Ammianum lib. 30. ſub annum Chriſti 377. Ex quo veriſimiliter coniicimus, Iulianum Apoſtatam, vel Valentinianum, prima Baſileæ fundamenta jeciſſe, quæ paulatim, ab everſa veteri Rauricorum Auguſta, ſua incrementa ceperit. Beatus Rhenanus lib. 1. rerum German. exiſtimat, Auguſtam funditus dirutam fuiſſe ab Allemannis & Francis, qui Attilam ſecuti, appendix funeſta, Germaniam primam, & ſecundam citeriorem, cum ditionis Sequanorum parte maxima occupârunt, eodémque tempore Vindoniſſam everſam, Aventicum, Forum Iulij &c.

Sentiunt alij cum Baronio, qui eam hiſtoriam refert ad annum Chriſti 387. Verum ut improbabilem ſententiam reiicit Hermannus

Fleyen

Fleyen Colonienſis, in Appendice *Anno Chriſti 451.*
tom. 4. de vitis Sanctorum à Lippeloo conſcriptis. Eſt tamen vero ſimilior quàm prima; quandoquidem rationibus primam opinionem oppugnantibus non æquè premitur.

Tertia opinio præ ceteris duabus magis probatur: Sanctam Vrſulam cum S. Pantalo, Martyrij decus conſecutam anno 451. Ita ſentit Sigebertus in Chronico, Othó Friſingenſis lib. 4. c. 28. Sabellicus in Martiano, 8. Enneadis lib. 2. Bonfinius de rebus Vngaricis lib. 5. Carolus Sigonius lib. 13. de Occidentali Imperio & alij plures. Quibus accedunt recentiores Sebaſtianus Verronius Friburgenſis Helvetius in Chronicis ſuis. Iodocus Coccius Societatis IESV in Dagoberto prævio c. 5. Et his omnibus exactiùs Hermannus Fleyen loco cit. ubi non

Anno Chriſti 451. de tempore ſolùm ac loco ſupplicij SS. Virginum, ſed & de aliis, quæ ad hanc hiſtoriam ſpectant, copioſiſſimè diſſerit. Conſentit ipſum vetus Breviarium Baſileenſe, ex quo legere eſt, S. Pantalum, imperante Martiano Orientali Imperatore, mortem & Martyrium oppetiiſſe. Taceo, hanc opinionem non illis implicari difficultatibus, à quibus vix poterunt expediri priores duæ. Certè Attila, Baronio teſte, & auctoribus ab ipſo citatis tom. 6. Valentiniano II. & Martiano Impp. perniciabili & deteſtando conſilio decrevit Romanum Occidentale Imperium funditus exſcindere, conſcripto ad meditatam ſævitiem perpetrandam exercitu ſeptingentorum millium: ad cuius nempe erecta ſigna, tota propè barbaries, locuſtarum inſtar, opimioris ſpe prædæ, convolaret. Quo de numero Gepidæ, Gothi,

Marco-

Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli &c. Qui omnes, quantam ſtragem in Galliis ediderint, triſti carmine cecinit Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti. *Anno Chriſti 451.*

- - - - - cecidit citò ſecta bipenni
Hercynia in ſylvas, & Rhenum texuit alno
Et jã terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe Belga tuos. - - - -

Metenſem urbem iam tum incendio vaſtatam perditámque fuiſſe teſtatur Gregorius Turonenſis cap. 6. Proſper item patriæ ſuæ Regij in Aquitania excidium & cladem luget lib. de Providentia Dei. Bonfinius lib. 4. dec. 1. plurimas enumerat Galliæ urbes, direptas & ſolo æquatas, nominatim Conſtantiam, Argentinam, Rhemos &c. A quo belli turbine aliàs implacabili, ſer-

Anno Chriſti 451. vatam tum quidem Baſileam, ait ipſe, eo-quod Sigiſmundus Princeps, vel iniquiſſimis conditionibus cum Attila pactis impendentem vaſtitatem avertiſſet.

Hìc verò inexplicabilis ſe obiicit Labyrinthus, ſi relegenda via & viæ ratio, quâ S. Vrſula, eiúſque aliquot ſaltem comites, ſi non Romam, ſaltem Baſileam appulerint. Contrariæ adeo ſe oppugnant coniecturæ, ut quænam certitudine præponderet, pronunciare difficile & ferè temerarium ſit. Trucidatas ab Hunnis apud Vbiorum Coloniam, indubitatæ eſt fidei, in eo ſcilicet à barbaris deprehenſas loco, in quem procelloſa maris tempeſtas innocentem claſſem diſjecerat, prout recenſet P. Petrus Ribadeneira Societatis IESV, in vita S. Vrſulæ & ſociarum, ex Baronio & alijs pluribus ſcriptoribus. Si ita

paſſas

paſſas Coloniæ admittimus, qua deinde conjecturâ ſuſtinebimus, Coloniâ Baſileam longis adeo terrarum ſpatiis diſſitam proſperâ vel adverſá fortunâ eſſe deportatas? Et ipſa tamen vetus traditio, & relicta in Rauracorum terris veſtigia, quæ etiamnum poſt rerum & religionis deflendas perturbationes ab incolis & accolis monſtrari poſſunt, ſanctam Vrſulam, cum aliquot ſodalitij ſui Virginibus Baſileam veniſſe teſtatum faciunt. Viſitur Báſileæ domus, quæ ſanctam Virginem exceperit: atque illam apud Divi Martini, ſcalam conſcendiſſe, conſtans hactenus fama viguit. Haud procul ab eadem urbe, in ipſo montis vertice, ſtat ædicula ſacra Sanctæ Chriſtinæ, quæ ex Societate Sanctæ Vrſulæ & in longis aſperíſque itineribus, defecta viribus, non ſine miraculo, decenter ibidem terræ mandata *Anno Chriſti 451.*

Anno Chriſti 451. data eſt, ut fatetur Vrſtiſius lib. 1. Hiſtoriarum Baſileenſium, & cap. 6. Epit. ex veteri Catholicorum traditione. Qua etiam de re extat carmen Sebaſtiani Brant, I. V. Doctoris ſua ætate Baſileæ percelebris, dedicatū inter alia Maximiliano I. anno 1495. Deniq;, pagus eſt in agro Rheinfeldenſi, Eichſelen, in quo tres ex iiſdem Virginibus Kunigundis, Mechtildis & Vuibranda, laboribus itineris confectæ, humanæ peregrinationis metam attigerunt, ubi ſepultæ ſunt. Multos verò exinde poſt annos, id eſt, anno 1503. à Raimundo, titulo *Mariæ novæ* presbytero Cardinale ex Comitiis Francofurti celebratis reduce, poſt accuratiſſimam indagationem, & patratorum illic miraculorum probata ex æquo teſtimonia, inventæ & quàm maximis fieri potuit, honoribus affectæ ſunt. Inſtitutæ hac de cauſa publicæ celebritati

britati interfuit Lucellenſis Abbas, *Anno Chriſti 451.* qui, ut tantæ rei monimentum aliquod poſteris relinqueret, ad aram B. Mariæ Virginis, quod de his virginibus recenſuimus, ſcitè ſculptum & pictum, pio ſenſu apponi mandavit.

Sed nos intricatam hanc controverſiam, in qua ipſe diu laboravit Baronius, ſub judice relinquamus, & S. Pantalum Baſileenſem Antiſtitem, Coloniæ Martyrium ſubiiſſe, præter rationes in medium allatas, ſufficiat vetus Eccleſiæ Colonienſis catenata traditio, quæ Sancti huius Martyris oſſa in Baſilica SS. Machabæorum debito cultu veneratur, teſte Cratepolio de Epiſcopis Germaniæ.

Non negârim, S. Pantalo priores fuiſſe Rauracorum Epiſcopos, Iuſtinianum, alióſque plures, quorum nomina temporis vetuſtas penitus abole-

Anno Chriſti 451. aboleverit. Et licet Adelphius, quinquaginta poſt S. Pantali mortem annis, Rauracenſem Epiſcopum ſe nominârit, potuit tamen primus Baſileenſis, & Rauracenſis Epiſcopus, adhuc dici S. Pantalus, poſterioribus ſæculis: tum ob Martyrij ſingulare partum huic ſancto Præſuli ante alios decus: tum quia ſtante Auguſtâ Rauracorum, omnes Rauracenſes Epiſcopi audierunt: eà verò dirutâ, aſſurgere ubi cœpit Baſilea, repudiato veteri nomine, Baſileenſes imposterum nuncupabantur; licet etiam tunc poſt extructam Baſileam nonnulli Rauracorum nomen retinuerint. Poſt concitatam ab Attila horridam belli tempeſtatem, & ſtragem urbium provinciarúmque plorabilem, miſerrima Eccleſiæ Gallicanæ facies erat, cùm labante in Galliis Romano Imperio, Burgundiones, Viſigothi, Allemanni, Franci

Idolo-

Anno Chriſti 499.

Idololatræ occuparent omnia, donec ſub annum 499. Clodovæus I. invocato Chriſto, quem à Chlotilde uxore, Childerici Burgundiæ regis filia, nôſſe & colere didicit, ad Tolbiacum Vbiorum vicum, debellavit Allemannos, victoriámque proſecutus, fines eorum ex utraque Rheni ripa hoſtiliter pervaſit, ferro flammáque devaſtans obvia, captivis duræ ſervituti mancipatis, totam denique Allemanniam partim fiſco regio, patim ſuis ducibus, quorum bellicam virtutem ante alios adverterat, in præmium fortitudinis & operæ fidelis addixit. Atque ut Germanos in officio magis contineret, & ne quid jugi impatientes, turbarum impoſterum molirentur, eis Comites præfecit, his Ducem, quem paſſim Allemanniæ & Sueviæ Ducem nominatum comperio: eo- quod magna pars Allemannorum,

Anno Chriſti 499. Suevorum gens ea tempeſtate diceretur. Dicaſterium etiam Allemanniæ ſive forenſem curiam, Ranckuillæ erigere placuit, lectis ſedecim Comitibus qui criminalibus cauſis, alijsve judiciorum diſceptationibus præeſſent. Quæ omnia ex geſtis S. Fridolini manifeſtiùs apparent, quàm ut à quoquam in dubium revocentur. Hunc in modum, gementibus ſub Francorum jugo Allemannis, ſubactis Burgundis & debellatis Viſigothis, Clodovæus iam Chriſtianus, ita regnum ſuum crebris victorijs & armorum felicitate ad extremos Galliæ fines amplificaverat, ut ejus poſterorúmque ductu ac authoritate, collapſa propemodum fides pietáſque per Burgundiam & Franciam refloreſceret. Eodem, quo hæc gerebantur, tempore, Sequani inferiores, (qui nunc Alſatæ & Sundgoi nominantur)

Anno Chriſti 499.

minantur) Rauraci item & Helvetij, Allemanniæ Duci ſuberant. Et quia Allemanni tardiùs, quàm Burgundi, & Franci, Chriſti ſacra ſuſceperant, hinc mirum videri non debet, ſi illo ævo interrupta ſit Rauracenſium Epiſcoporum ſeries, aut eorum nomina exciderint. Tandem igitur in has regiones ex Francia & Burgundia importatam denuo fuiſſe Evangelij facem per viros Apoſtolicos è Divi Benedicti familia, omnino perſuaſum habemus.

ADELPHIVS

Rauracorum Epiſcopus III.

SVbſcripſit Adelphius Rauracenſis (retento primævo titulo) ſive Baſileenſis Epiſcopus, primo Concilio Aurelianenſi, cum ceteris Epiſcopis,

Anno Chriſti 499. voluntate Clodovæi Francorum regis, Aurelias convocatis, anno Chriſti 507. apud Baron. tom. 6. ex tomo 1. Conciliorum. Subſcripſit etiam Adelphius per vices ſuas gerentem Aſclepium presbyterum, II. Concilio Aureliæ celebrato, teſte eodem Baron. tom. 7. & tom. 1. Concil. anno 22. Childeberti ex tom. 1. Concil. Anno Chriſti 536.

Hæc eadem ætas, multarum regionum bono, peperit S. Fridolinum, virum Apoſtolico vitæ genere conſpicuum, qui in Rauracis poſt tyrannicam Attilæ atrocitatem, fidei & virtutum Chriſtianarum reliquias omni ſtudio conſtabilire laboravit, ſimul Seckingenſis Monaſterij primus fundamenta jecit. Vitam eius prolixè conſcripſit P. Petrus Caniſius Societatis IESV. Henricus Murer in Helvetia Sancta, Iodocus Coccius in Dagoberto prævio, aliique

que apud hos plurimi. Quin & Eccleſia Baſileenſis, 6. Martij, ritu ſemiduplici Sancti huius diem feſtum agit, cum hac brevi vitæ ipſius panegyri. *Anno Christi 495.*

Fridolinus regio Hibernorum ſanguine procreatus, propter aßiduas peregrinationes, quas Evangelij propagandi ſtudio ſuſcepit, Viator dictus eſt. Pictavium in Galliam profectus, auſteritate vitæ & Chriſtianæ legis propagatione, magnam ſibi apud omnes auctoritatem conciliavit. Clodovæi I. Francorum regis liberalitate, primùm Pictavij, deinde apud Belgas prope Moſellam, pòſt, Argentinæ, Curiæ Rætorum atq; alibi Collegia aliquot propagandæ fidei conſtituit: templa inſuper ad augendum Dei cultum extruxit, Poſtremò ſupra Baſi-

Anno Christi 499. *leam ad Rhenum, ubi nunc Seckinga eſt oppidum, vitæ agendæ & Eccleſiæ exædificandæ locum delegit. Hic non ſolùm interdiu, ſed etiam noctu pervigil, divinis laudibus & precibus ardenti ſtudio inſiſtebat. Verùm, cùm loci accolæ, à vera pietate abhorrerent, barbarâ immanitate virum ſanctum injuriis, laceſſere cœperunt, virgíſque cæſum ſuis finibus expulerunt. Ille patienter ferens illatas ſibi iniurias, ad Clodovæum rediit, à quo cum litteris regiis remiſſus, qui etiam poſſeßionem impetravit, & ſacrarum Virginum Collegium inſtituit. Urſum civem Claronenſem à mortuis ſuſcitatum in pagum Ranckvvil manu duxit, ut coram Landgravio Baldeberto de bonis à ſe Monaſterio legatis contra Landulphum fr[illegible]rem teſtaretur. Quo*

mira-

miraculo ita ipſum commovit, ut præ- Anno Chriſti 499.
ter fratris legatum, etiam ſuæ hæredi-
tatis partem Fridolino donaret. Ita vir beatus, multa pro Chriſto perpeſſus, virtute, prudentiâ, miraculiſque clarus, confectâ tandem ætate circa annum reparatæ ſalutis quingenteſimum decimum quartum, pridie nonas Martij mortuus, Seckingæ ſepultus eſt. Hactenus Proprium Baſileenſe. Addit Bruſchius in Chronologia Cœnobiorum: Seckingenſe à S.Fridolino à fundamentis erectum, approbante Clodovæo rege, & annuis reditibus, qui ad alendos quatuor Canonicos & octo Virgines Canonicas ſufficerent, anno 493. locupletaſſe. Qua in re non parùm hallucinantur illi, qui Fridolinum ætate ſupparem faciunt S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo, ut qui, teſte Baronio, anno 369. fatis conceſſiſſet. Al-

Anno Chriſti 609. Alterum Baſileenſem Diœceſin, illuſtrabat ſydus, Himerius. Is vicum Lugné, pago Danſſereux & agro Bruntrutano finitimum, natale ſolum habuit. Ab ima ætate, generis nobilitati ſacrarum litterarum ſtudium jungere, ſed multò magis virtutem colere didicit, viaticum ſcilicet arduo & longinquo Cœli itineri maturè præparatum. Quare, ut Deo diviníſque rebus ſe conſecraret ex integro, obortâ cœlitus animo luce, ſtatuit ipſe, paterna domô relictâ & fortunarum, ſpeíque maioris fluxâ amplitudine, humanum vitare conſortium & in deſertam ſe abdere ſolitudinem, futurus apud Deum clarior, quò ſibi, hominibúſque viveret, obſcurior. In viam ſe dat unà cum probæ mentis famulo Elberto ſive Alberto, tandémque per avia & inculta loca, in vallem deſcendunt ab incolis deſertam, Su-

ſingam

ſingam olim, at nunc ab inquilino *Anno*
ſuo, S. Himerij dictam. Hìc figere *Chriſti*
ſedem placuit, complanatis utcum- *600.*
que aſperioribus ſalebris, exſtirpatíſque fruticibus & dumetis, vili caſâ ſe muniunt adverſus Cœli inclementiam. Ac inde terram ſubigere primus manuum labor fuit, quo vitam frugaliſſimè tolerare poſſent. Verùm in irritum fuit labor: nam præter inanem ſegetis culmum, & levium ſpicarum formam, cultus & ſatus agellus nihil protulit. Vnde, minimè probari Deo interpretatus fixam hoc loco ſedem, migrandum, ſuam & aliò ducere coloniam conſtituit. Lauſannenſis Dei genetrici ſacræ ædis Præfectos adit, à quibus facilè impretrat agri colendi copiam, ad tenuem ſibi ſocióque victum comparandum, de tertia fructuum parte cum illis pactus. Sed, nec longam hìc exercuit agricultu-

Anno Chriſti 600. ram Himerius, incenſus cupidine viſendi loca Chriſti, dum in terris ageret, perfuſa ſanguine, & ſacris nobilitata veſtigiis, eô potiſſimum animô, ut Martyriô coronam reportaret, Cœli glorioſus civis per hanc effectus. Hieroſolymam itaque profectus, triennium in locis illis obeundis religioſè impendit, operâ ſimul addiſcendæ Syræ, Arabicæque linguæ utiliſſimè adhibitâ. Iam tum, quis eſſet Himerius, ſtupendô prodigiô ſat ipſe demonſtravit, dum immanem gryphum Inſulæ cuiuſdam incolis infeſtiſſimum efformato Crucis ſignô aliò confeſtim migrare compulit, minimè nociturum ampliùs, formidabile monſtrum, quod abactum procul pedis vngulam S. viro reliquit, velúti quoddam ſanctitati debitum tributarium pignus. Adeo perditum hominis in feroces belluas imperium reparare, queat

queat virtus, ſi eximia & ſingularis, ut erat Himerij. In ſuo poſtea diſceſſu, dono datum à Patriarcha Hieroſolymitano Iuſti Simeonis brachium cum aliis ſanctorum venerandis lipſanis incluſum vngula gryphi, ſecum aſportavit. In itinere, neſcio quo, opportnno alias, ut videbatur, loco, ſacellum erigere, unà cum ſocio Elberto aggreſſus, ab incolis prohibetur. Conſulto igitur per preces Deo, repetendam primam Suſingæ eremum intelligit. Progreditur nocte quadam, & audito tertiùm nolæ ſono, ad corylum tantiſper ſubſiſtit, ex qua præciſus ſurculus, iſq; humi depactus, velut altera Moyſis virga repente limpidum & largè ſalientem fonticulum elicit, laticem poſteris, etiamnum in infirmitate ſalutarem. Expurgatâ ſentibus veteri ſede, ædem reliquiarum Divi Martini, quas ſecum *Anno Christi 600.*

Anno Chriſti 600. Hieroſolymis attulerat, cultui & venerationi ſacram omni ope erigere contendit; ubi continuato virtutum & pietatis exercitio, ſuóque immitis corpuſculo, duræ rupi reclinato, vix aliquam ſomni & quietis partêm indulſit, tribus duntaxat per hebdomadem diebus, modico, panis hordacei, cinere priùs macerati, cruſtulo vitam ex dimenſo ſuſtentare contentus. Muto porrigens ſacrum divini verbi epulum, uſum linguæ reſtituit. Multis in vita clarus miraculis, quam inter Davidis pſalmos cum ſociis in templo piè recitatos, ſancto fine clauſit, non minùs poſt mortem, propulſandis morbis beneficum Evergetem ſe præſtitit. In hunc ſenſum hactenus M. S. codex: à quo non abludit Proprium Baſileenſis Eccleſiæ ad XII. Novembris. Meminit item huius Sancti debita cum veneratione

ne Biſuntina & Lauſannenſis, in cuius Diœceſi ſita eſt vallis S. Himerij, (aliàs Ergue) in temporalibus tamen eſt dictionis Epiſcopi Baſileenſis. *Anno Chriſti 600.*

Sanctitate anteactæ vitæ, uti & poſt mortem miraculorum famâ longè latéque pervulgatâ, Regina Bertha Rudolphi ſecundi Burgundiæ regis coniunx, ad tumulum S. Himerij inviſens, Collegiatam duodecim Canonicorum Eccleſiam inſtituit, Præpoſiti dignitate illuſtrem, & annuis vectigalibus regia magnificentiâ abunde inſtruxit. Corpus deinde S. Himerij ex ſuo ſepulchro in honorificentiorem novæ ædis loculum, ſolenni apparatu tranſlatum eſt. Sancti porro Himerij viguiſſe perennem apud poſteros memoriam, præter maiorum fidem perpetuò traditionis filo ad nos uſque deductam, in pago Danffereux, anti-

qua,

Anno Chriſt. 600. qua Principis aræ tabula ſanctum virum unà cum grypho depictum exhibet: ſacellum item non procul indę ipſius honoribus dicatum: fons denique à nomine ſancti viri derivatus, cuius potus, etiam liberaliter hauſtus, nullam vel jeiuno ſtomacho læſionem pariat.

Multo dein à Regina Bertha annorum lapſu, Carolus Craſſus Imperator, anno 884. Monaſterio Grandis-vallis, hanc Cellam, ſive S. Himerij ſedem, & quidquid demum juris ad eam ſpectaret, confectis ritè tabulis conſignavit. Eam verò cellam ſtetiſſe conſtat in Gorgemont pago Vallis S. Himerij; ex qua duo pellucidi fontes ſcaturiunt. Alter porrumpit, ex inferiori templi ab ipſo S. Himerio conſtructi parte: alter copioſiùs in rivum ebullit, ut qui moletrinas rotas in orbem verſet. Hunc ſecundum ardens ſiti

ſanctus

Sanctus excitâſſe dicitur, percuſsâ baculo terrâ: fuítque olim celebris apud accolas, antequam inde Orthodoxam religionem hæreſeos plauſibilis exturbaret novitas; ita ut quamplurimi è remotioribus etiam locis piâ ſupplicantium pompâ, id lavacrum frequentarent, ægris corporibus proficuum, vel certè, aquam inde domū ad ſuos referrent. Nec abolita penitus eſt ævo noſtro priſca illa pietas, & conſtans in vim aquæ illi S. Himerij meritis impreſſam fiducia: Verum occulta ſit illa pietas, neceſſe eſt, ob hæretici Magiſtratus mandata, quæ laudabile totius retrò antiquitatis ſtudium & reverentiam, velut anilium fabularum nugas execrantur. *Anno Chriſti 600.*

Anno 1510. pagus S. Himerij cum utraque æde ſacra flammis abſumptus eſt; utraque tamen brevi, ſed non ad priſtinam utique faciem, inſtau-

Anno Chriſti 600. inſtaurata. Anno denique 1530. quo, Lymphatorum more, graſſabantur Calviniſtæ, vel alij, quicumque demum in excidium avitæ fidei conſociati Novatores, fucatam reformandæ religionis laruam oſtentabant, eodem & ipſi Bielenſes, quod dolendum, œſtro perciti, fidei luce proſcriptâ occœcati, ante Dominicam Oculi, cladem attrocitate Tyrannica ſæviorem Valli S. Himerij intulerunt. Everſis namque altaribus, ſpoliatis, quæ pretij alicuius, ipſa denique S. Himerij lipſana avorum & parentum religione culta, unà cum cæteris ſanctorum ſtatuis & imaginibus exuſſerunt. En! furentes cædibus, ferventes incendiis, novum Apoſtolorum genus, inauditos hactenus Bonaerges!

Quonam verò certo tempore vixerit S. Himerius, ut aliquid attingamus, non niſi coniecturâ altiùs

repe-

repetendâ deprehendere licuit. E- *Anno Chriſti 600.*
verſis nobiliſſimis Romanorum Coloniis in Gallia, partim per Hunnos ductu Attilæ, anno circiter 451. partim per Francos & Allemannos, qui ut ad calamitatem temporum nihil deeſſet, Attila jam ad interiora regni progreſſo, id omne quod ab Hunnorum falce ſupererat, ſpicilegium crudelitatis ſuæ fecerunt, haud paulò mitiores prædatores. Sed & hoc turbine remittente tandem, antiquarum Vrbium buſta & ruinæ, ſe novarum erectioni fundamenta præbuerunt: quemadmodum rectè docet Beatus Rhenanus lib. 1. rerum Germanic. Sic poſt dirutam Rauricam, Vindoniſſam, Aventicum &c. celebrari cœperunt novæ Vrbes Baſilea, Conſtantia, Lauſanna; & ab ijs, Epiſcopi, qui antè dicebantur Rauracenſes, Vindoniſſenſes, Aventicenſes, poſtremis tempo-

Anno Chriſti 600 ribus nuncupati ſunt Baſileenſes, Conſtantienſes, Lauſanneſes.

Stumfius lib. 8. in Catalogo Epiſcoporum Lauſannenſium primum numerat Prothaſium, regnante Clodovæo, anno 500. ad 517. Secundum Chilmegiſilum, ad annum 537. Tertium, Superium, qui anno 535. interfuit Concilio Avernenſi. Quartum, Marium, qui nobilibus ortus parentibus, in Pontificem Lauſannenſem auctoratus anno 581. interfuit Concilio Matiſconenſi ſecundo, ætate Gumtramni Burgun-
602. diæ regis, cum quo obijt, anno 602. poſtquam Rex ille inſtaurâſſet Paterniacum, ſub annum 595. Marius verò paternis bonis Eccleſiam Lauſannenſem ita erexiſſet, ut eius vel auctor vel fundator dici mereretur. Cúmque priores Epiſcopi ſolo Aventicorum Antiſtitum nomine uterentur, ipſe ad libitum, Aventi-
cenſem

cenſem & Lauſannenſem ſe promiſcuè appellari paſſus eſt. Ex quibus facile eſt inferre, S. Himerium, poſtquam, ut vidimus, agrum colendum acceperat ab ijs, qui tum Eccleſiæ Lauſannenſi præeſſent, circa ſexcenteſimum à Chriſto nato annum, vitam egiſſe. De certo autem naſcentis aut morientis die nihil conſtat. *Chriſti Anno 600.*

Ne verò errorem pariat commune pluribus nomen Himerij; noſter, de quo hactenus, vir ſanctus, non ille eſt Himerius Abbas, quem Iodocus Coccius in Dagoberto prævio, vixiſſe aſſerit, circa annum Chriſti 640. atque alumnis D. Benedicti præfuiſſe, primò quidem in cella ſive Cœnobio S. Sigiſmundi, deinde S. Marci dicta, propè Monaſterium Marlitz, uno millario Rubeaco diſſita. Quam cellam cum inſigni Baſilica exædi-

Anni Chriſti 600. ficaverat Dagobertus, honorando S. Sigiſmundo Burgundionum Regi, à quo maternum genus trahebat. Certè S. Himerius nunquam monaſticam egit vitam, longè minùs Abbatis dignitate fulſit. Neque Alſatia ipſum, ſed vallis Ergue Eremitam habuit, ut iam ſuprà meminimus.

Sub idem ferè tempus in ſchola magni illius aſceticæ vitæ Magiſtri, (Columbanum intelligo) Luxovienſi Burgundiæ ampliſſimo olim aſceterio, Monaſticæ vitæ diſciplinâ probè exercitatus Vrſicinus, religioſè admodum vixit. Ille, cum malô dolô Reginæ Brunichildis, & Theodôrici iuſſu, è Galliæ regno pellererur Columbanus, anno Chriſti 612. ſecutus eſt filius exulantem patrem, à cuius ore totus pendebat, donec Columbanus in Italiam ſe conferret. Tum enim Vrſicinus, ſoli-

ſolitariæ vitæ cupidus, in vaſta circa Dubim præterfluentem ſolitudine domicilium ſibi & locum Deo impenſè vacandi delegit accommodatum, in quo videlicet corpus vigilijs, inediâ, aſperis alijs macerationibus, mentem verò divinis meditationibus, lacrimis, gemitu crebro, & incenſis precum jaculis in Cœlum identidem vibratis, ad ſpem æternæ felicitatis excitaret. Ità vivebat mortalibus ignotus Vrſicinus in cœleſtium prægustu, humana faſtidiens; dum fortunatus error de via procul, per prærupta illa & inacceſſa vagantium, Vrſicinum & eius ſanctitatem, famâ latè vulgatâ, aperuit. Exinde frequentabatur è longinquis etiam Provinciis, corpore & animo ægris præſens Aeſculapius. Alterum in deſerto Ioannem, aut Ioannis vitam & vocem imitari quàm proximè dixiſſes Vrſicinum:

Anno Chriſt 600

Anno Chriſti 600. adeo nullum rudem, afflictúmque niſi ſalubri conſilio adiutum, ſolatio recreatum, divino eloquio paſtum à ſe dimittebat. Non pauci eius exemplo permoti,& ſimile vitæ genus amplexati, ut hyemante Cœlo, imbrium & frigoris aſperitatem faciliùs tolerarent, plura tuguriola hìc loci adſtruxerunt. Eam ſancti viri quietem diu ferre non potuit in damna noſtra & exitium vigilantiſſimus hoſtis. Vrſicinum vaferrimis machinationibus & tentationum procellis pulſat; inconcuſſum tamen ſemper, & in ſancto propoſito obfirmatum reperit. Ergo technarum mille-artifex, cùm aliter ſua non procedere vaframenta adverteret, candori vitæ & famæ puriſſimæ Vrſicini, turpem ignominiæ fuliginem affricare, omni ſtudio laborat Orci tenebrio. Incitat tacitis ſuggeſtionibus prędivitem Euclionem,

mensæ

menſæ ſuæ adhibeat convivam Vrſicinum, ut vini, cui minimè aſſueverat Dei ſervus, crebro hauſtu provocatus, ſolutâ corporis compoſitiſſimi modeſtiâ, exponatur ludibrio. Adeſt ergo dictâ die Vrſicinus, ut rogatus erat, tectam fraudem Charitatis officium ſynceriſſimæ interpretatus; cuius occaſione, ſermone de Deo, multo cum fructu, convivium ipſe condiret. Nec voto ſuo deceptus eſt Sathan: præbibit hoſpes nefarius, concitatis & crebrò repetitis poculis urget, premit Vrſicinum, ad vitium uſque officioſus pocillator: dum vir ſanctus mero aliàs non immodico ſe incaleſcere advertens ſeceſſûs copiam rogaret. Tum enim improba familia in cachinnos erumpere, virum Dei ſannis, ſarcaſmis, in flagranti deprehenſum hypocritam, gulæ & Bachi Voraginem inclamare, denique exſibi- *Anno Chriſti 600.*

 landum

Anno Chriſti 600. landum propinare iis, apud quos ob ſanctitatis opinionem in ſumma erat veneratione. Agnovit demum Sanctus improborum ſtructos dolos & inſidias. Quare, domo confeſtim ſe proripiens, Davidicas impiis diras denuntiat: *Fiat habitatio hæc deſerta, & in tabernaculis his non ſit, qui inhabitet &c.* Et ecce, brevi poſt tempore, locus ille tanta reptilium ſerpentium, locuſtarum & murium repletus eſt copiâ, ut deſertus omnino & ſolis habitabilis feris redderetur. Adeo nihil humanum eſt, quin vel labis ſpeciem aliquam præſeferat; ſed ea turpis infamia innocenti viro in famæ auctarium tandem ceſſit. Ad amicam regreſſus eremum, plures adhuc accepit inſtituti ſui æmulos. Creſcente autem in dies alumnorum numero, quò divina officia commodiùs peragerentur, eo loco, cui hactenus confer-

conſervatum S. Vrſicini nomen, templum pręcipuo in Apoſto'orum Principem cultu excitavit. Hic licet perdius & pernox, nullíque rei, niſi perpetuis vigiliis, & orationibus intentus videretur; in pauperes tamen & peregrinos hoſpitio fovendos miſeritudine & hoſpitalitate ſingulariter excelluit. Nec defuit interim tyronibus ſuis, quos præceptionibus ſanctiſſimis & vitæ religioſæ certis regulis, ad omnem virtutem ſapienter informaret; adeo ut in ſacra hac militia ſe veteranos brevi præſtarent. Extenſis denique ad plurium juxta regulam D. Benedicti inſtituendorum habitationem Cœnobii anguſtiis, multis donatus prædiis, in exiguum ſe ipſe per intervalla recipiebat tuguriolum, ubi ſibi durior & novis collectis viribus ſe Deo coniungeret arctiùs. Multis præterea clarus miraculis, meritorum *Anno Chriſti 600.*

Anno Chriſti 600. uti & dierum plenus, ad fatalem vitæ terminum, de quo cœlitus edoctus erat, ſe ſtudioſiùs accingit, alumnos ſuos coràm præſentes inflammatis ſi unquam aliàs allocutus verbis. Adeſte, filij, inquit, & ultima morientis à me monita, memori animo, excipite. Eo, quo cepiſtis pede, filij, inanes mundi blandientis ſpes & carnis illecebras proculcate; ſic in precibus & vigilijs accurati, ne ſomno & inertiâ rurſum depereat, quidquid magno labore hactenus comparaveritis, ignavis meſſoribus haud abſimiles, qui albeſcentes ad meſſem ſpicas negligunt, quas ſollicito ſtudio antè coluerant. Illud verò præ cæteris habete perſuaſiſſimum; rem cum ſenſuum illiciis ſic ſe habere, ut dum blandè ſaginare videntur, dilacerando poſtea crudeliùs excrucient. Ad hæc, à vobis fratres in Chtiſti viſceribus con-

coniunctiſſimi, illud etiam atque etiam expeto, ut domum hanc ſanctioris vitæ ſeminarium, & Cœli tyrocinium, niſi ſpiritus vos defecerit, arrepti propoſiti memores nunquam deſeratis. Hanc de vobis conceptam ſpem implere ſi pergitis, mortem gaudio perfuſus excipiam, contemptis Dæmonum terriculis. His ferè, pio ſenſu ad circumſtantes mœſtóſque filios præfatus, & ſupremâ illa precatiunculâ: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*; placidiſſimè animam exhalavit, ampliſſimâ pro meritis gloriâ in Cœlo cumulandam. Sancto viro parentatum à filiis, eius corpore in æde S. Petri, decenter compoſito. In hunc ferè ſenſum loquitur hactenus membrana vetuſtiſſimi Breviarij, in qua S. Vrſicini vita omnino 24. lectionibus diſtinguitur. Cuius *Anno Christi 600.*

Anno Chriſti 600. Scriptor in prologo aſſerit abs ſe conſcriptam, iuſſu Præceptoris ſui Hugonis Archiepiſcopi, refértque inter patrata à S. Vrſicino miracula, innoxium aſini caſum, qui nempe, ut erat & ad alios Cœnobij uſus, obviam ægro cuidam à S. viro miſſus, de via exerrans, preceps ex alto monte illæſus decidiſſet. Videre eſt eum locum ſupra oppidum S. Vrſicini, ex quo ſine damno prolapſum mite ægrorum deportandorum jumentum. Fidem dictis hactenus confirmat, tum Martyrologium, tum poſterius idque correctius Baſilenſe Breviarium de S. Vrſicino ad XX. Decembris, de quo plura Lectiones Proprij Menologij Baſileenſis. Item Chriſtianus Vrſtiſius lib. 1. c. 3. Hiſt. Baſileenſis & poſt illos Henricus Murer in Helvetia Sancta.

De miraculis inſuper S. Vrſicini vetuſta Miſſalia, & eius Eccleſiæ, ut voca-

vocamus, Antiphonaria meminerunt, quorum aliqua rythmo & verſu priſco ſic habent, *Anno Chriſti 600.*

Qui protector es vivorum,
Suſcitator mortuorum
Duc ad regna nos Cœlorum.
Et qui merſos excitaſti
Ac ægrotos mox curâſti,
Dei nutu, quem amâſti,
Fac ut hic vivamus caſti. &c.

Ex Nocturno II.

Reſponſorum III.

Divitis iniuſti facta eſt habitatio vaſta,
Actibus immundis conſtanter erat quia poſthac,
Ut famulus Domini prædixit, fœta locuſtis,
Vermibus, & gryllis domus eſt data ritè ſuperbi.

Ex

Anno Chriſti 600.

Ex Nocturno III.

Reſponſorium II.

*Invia per montis clemens animal De-
us alti
Servavit lapſum bene firmum corpo-
re toto,
Segne ſui ſervi meritis animal Deus
almi.*

Aliud de eodem.

*Gloria cunctorum ſancte Vrſicine la-
borum,
Huius es vallis qui pater atq; ſalus:
Belgica te noſtras Luxovia miſit ad
oras,
Cúmq; tribus migras fratribus
inde ſacris.
Ad Suevos Gallus, Grandfeld Ger-
manus adibat,*

Ran-

Randoldúmque ſuo ſervat in obſequio. *Anno Chriſti 600.*

Proxima vallis eis, præſens tibi noſtra dicata eſt,

Quam prece dive tuâ, præſidióque fove.

Sentiat eſſe locus præſentem ſemper, & omni

Tempore conſerves hanc Pater alme domum.

Subiecta fuit aliquandiu Eccleſia S. Vrſicini cum adiunctis prædiis Monaſterio Grandis-vallis, ut patet ex litteris Carolomanni, anno 770. confirmantis donationem Pipini Patris aliorúmque Regum. Rudolphi verò tertij & ultimi Burgundiæ Regis donatione, anno 1000. venit in ditionem Epiſcopi Baſileenſis, & poſterioribus deinde temporibus mutata in Eccleſiam Collegiatam duo-

Anno Chriſti 609. duodecim Canonicorum, quam Innocentius II. Pont. anno Chriſti 1139. confirmavit, & ſuſcepit in tutelam S. Petri, teſte Vrſtiſio l. 1. c. 2. & 3.

Anno Chriſti 1505. Iulij Papæ II. quarto. Rudolphus de Halvvil Præpoſitus cum aliis Canonicis, orto dubio, an corpus S. Vrſicini tranſlatum eſſet in Burgundiam, bonâ Chriſtophori ab Vtenheim Epiſcopi Baſileenſis veniâ, remoto ſepulchrali lapide, in ſarcophago calvariam & cetera corporis oſſa reperit.

S. Vrſicino S. Germanum Martyrem, uti ætate, ita & prodigioſæ ſanctitatis famâ celebrem, ordine narrationis componimus. Natus erat Treviris Germanus, patre Optardo Senatorij ordinis viro, qui filij pueritiam S. Modoaldo Trevirenſi Antiſtiti honeſtis imbuendam moribus maturè tradidit. Germa-

nus

nus jam per ſe bonæ indolis & vir- *Anno*
tutis capax, tanti Magiſtri præceptis *Chriſti*
ad nutum obſecutus, omni ſcientia- 600.
rum & probitatis genere, poſt decurſum paucorum annorum ornatus, non potuit non reddi omnibus commendatiſſimus. Pueritiam vix egreſſus, erat jam judicio maturus, dehinc, ſeptendecim annorum adoleſcens, ſerias admiſit animo cogitationes ſæculo Nuntium remittendi. At, ne quid per imprudentiam aggrederetur, Modoaldo ſapientiſſimo ſuo moderatori mentem ſuam candidè aperit. Modoaldus collaudato Germani propoſito, obnititur nonnihil; cauſſatus, eam tranſitionem ad ſtatum Monaſticum, ut immaturam & puerilem, Regi ſtomachum & indignationem certiùs moturam. At Germanus veritus magis, ne Deo diſpliceret, protelata ſua deſtinatio, ſancti tenax propoſiti, facul-

Anno Chriſti 660. facultatibus ſuis pauperes inter diſtributis omnibus exutus, ut Chriſtum indueret, ad B. Arnulphum Metenſem Epiſcopum in Eremo Herrenbergenſi tunc agentem, tribus comitatus ſociis rectà proficiſcitur, ubi prò more in Monachum attonderi voluit. Inde miſſus paulò pòſt ad S.Romarici monaſterium, Sigeberto Dagoberti filio Auſtraſiæ regnum obtinente, evocatum ad ſe minorem fratrem Numerianum (maior enim Opthmarus olim in aula Dagoberti ad regiam eleganti-am, & ſeculi mores educatus, apud Sigebertum Auſtraſiæ Regem inter Proceres celebris erat) ſuo exemplo & hortatu ad idem vitæ inſtitutum pellexit. Excepti duo fratres, magnâ gratulatione, ut qui genere nobiles, & magnis rebus gerendis aptiſſimi adoleſcentes. Et verò Germanus maximè, ſpem de ſe conce-

ptam

ptam non fefellit. Nullus præ illo *Anno Chriſti 600.* diſciplinæ religioſæ obſervantior: nullus Deo per aſſiduam orationem familiarior. Ieiuniis, vigiliis, aſperiſque corporis afflictationibus, qui ſibi nunquam ſatis, nimius aliis fuiſſe viſus eſt, uti & ciborum abſtinentiâ laborúmque tolerantiâ incredibili. Animi demiſſione tantâ, & obſequioſis charitatis officiis, ut commilitonibus ſuis admirationi eſſet & exemplo nunquam ſatis imitando. Videre erat adoleſcentem liberaliter enutritum, cæſa in ſylvis ligna domum humeris ſuis deportare, ſervilibus perinde abiectiſſimísque Dei cauſà, hilari animo occupari. Maiori in dies ſanctitatis accenſus deſiderio, Thuanem illuſtri inter ſuos gentiles Burgundos oriundum familiâ, acceſſu virtutis adhuc magis inclareſcentem, in ſocium adſciſcit, quocum

Anno Chriſti 609. ad religioſæ diſciplinæ emporium, Luxovienſe, inquam, Monaſterium, rudi licet tunc opere conſtructum ſe conferat. Adventantes eximiâ complexus eſt benevolentiâ Valdebertus Abbas gēte Sicamber, ſpectatæ vir ſanctitatis, tertius Luxovienſis Abbas, & S. Columbani poſt Euſtaſium ſucceſſor, cuius etiam feſtus dies; teſte Trithemio VI. Calend. Maij celebretur. Hoc duce Germanus domandæ carnis ſtudio & reluctantium affectuum moderatione ita ſe geſſit, ut omnium voto & conſenſu dign⁹ omnino habitus ſit, qui ſacris ordinibus admoveretur. Quia verò ad tot capitum cenſum Luxovienſis ædificij laxandæ erant anguſtiæ, quod apum examinibus uſu venit numero ſuo laborantibus, ducendæ aliò fuerunt coloniæ. Communicato igitur conſilio Valdebertus cum illuſtri & pinguium fortu-

narum

narum viro Gundonio, vallem rivo piſcoſo irriguã impetrat, quam à ſua longitudine Grandem appellitare libuit, locum Delemonto haud ita procul diſſitum. Huic coloniæ pręficitur Fridoaldus inſtituti Monaſtici ad normam S. Columbani, vir peritiſſimus, atque is ad dura primis ſubeunda initiis factus; ita quidem ut labore manuum, cædere ligna parando victui, ipſi & ſociis uſitatiſſimum eſſet. Verùm Fridoaldo ſubrogandum aliquem judicavit Valdebertus, cui generis nobilitas & coniuncta cum eruditione vitæ integritas auctoritatem conciliaret, dotibus ſimul ad regendos domeſticos bene comparatum. Aptior è toto numero Germanus Abbatis titulo trium Monaſteriorum curam ſuſcipere cogitur: S. Vrſicini, Verdunenſis, aliàs Vuerdenſis Ergòviæ, & Grandis-vallenſis. Quo in mu-

Anno Christi 600.

Anno Chriſti 600.

nere ea valebat gratiâ, ut in omnium ore & animo miris deprædicatus encomiis circumferretur Germanus, Deo æquè ac hominibus charus. Indicium luculentum ſit; quòd vir ſanctus aditum Monaſterij, difficilem & ſaxis obſitum, ſolo manuum levi niſu aperuerit, quemadmodum adhuc oſtenditur: durâ nempe rupe ad ſolidam virtutem & ſacræ manus contactum molleſcente. Gundonio Duce vitâ functo, eiúſque ſucceſſore Bonifacio, rerum potitus eſt Cathicus, duri vir ingenij, & à maiorum in homines Deo devotos pietate longè alienus. Is furore correptus, impotenter minis agit primùm, tum acerbiùs infenſus, Monaſterij incolas & accolas barbarè divexat, obtentu perfidiæ & rebellionis in ſuos maiores, ab incolis commotæ; obturatis inſuper ad qua ſuis excuſantium preces auribus

inexo-

inexorabilis. Primum irati hominis fulmen excêpere Sernogaudienſes, eorum primariis ſolum vertere juſſis. Nec ſatis horum clade ſuo furori litatum ratus, Allemannos in perfidiæ & ſceleris ſocietatem advocat, gentem tunc ad quælibet audenda promptam, Cothalmundo Duce. Dicta die vallem hoſtiliter ingreſſus, biſpartitâ invaſione, Cathicus hinc cum ſuis, inde Cothalmundus cum ſuis, ferro flammáq; implacabiliter vaſtant. Germanus, ut potuit in tanto tumultu & omnium trepidatione, ſanctorum lipſanis ſacriſque libris in tutiorem locum comporratis, unà cum Randoaldo Præpoſito ad Cathicum properat, quamvis in via humi proſtratus & malè à militibus mulctatus. Cathicum tandem in templo S. Mauritij, & unà Ericum Comitem pravi conſilij funeſtam coquentes *Anno Chriſti 660.*

Anno Chriſti 600. cataſtrophen accedunt. Hìc Germanus Dei ſpiritu accenſus, & Paſtoris veri plena libertate in Lupum invehitur: ſacrilegum facinus & fuſum innocentem ſanguinem ad cetera ſcelera audenter exprobrat: manum Dei vindicem, niſi reſipiſcat, experturùm eſſe, brevi, ſed nervoſâ oratione vaticinatur. Ille ſimulatâ commiſſi facinoris pœnitudine, illata damna reparaturum pollicetur. At cùm totâ paſſim valle, inauditâ lanienâ, contrucidarentur abſque diſcrimine miſeri incolæ, & incendiis magis magíſque graſſaretur barbaries efferata, commiſeratione ſuorum tactus Germanùs, & lacrimis perfuſus, erecto ad Cælum vultu & animo: *Vide Domine*, inquit, *quia gens barbara polluit hæreditatem tuam*. Tum ad barbaros converſus jam jam ſibi & Cœno-

Cœnobio imminentes blandis verbis nequidquam à deſignato ſcelere dimovere conatur. Meminiſſent hanc Dei ſortem eſſe, ſacrum locum non niſi cum maxima impietatis nota, à violentis tentari poſſe manibus: non laturos impunè, à tergo ſcelus divina premente Vindictâ. At ſurdis canebat Germanus, ferociores inde ſanguinis avidæ hirudines, ſtricto ferro in cædem deuoti Deo capitis ſe mutuò animant. Advertens ergo exoptiſſimam ſuæ necis adeſſe horam, in genua provolutus, Pax tibi à Deo, Randoalde frater, macte animo, inquit, felicitatis janua per noſtra vulnera patebit hodie. Favete Cœlites boni, túque inprimis vitæ & necis author Deus ter optime, tibi morimur, ſpe pleni, laborum & mortis, vitæ melioris uſurâ, relaturi præmium. Cadimus fortunata victima, quam Deus poſt *Chriſti Annô 600.*

Anno Christi 600. caſum brevem, longè altius ad Cœlum evehit. Spectabant interim fortiſſimorum athletarum virtutem, quin auditis articulatis vocibus, velut ex amphiteatro quodam Agonothetæ, non tam ad breve certamen, quàm ad perennaturam Martyrij lauream invitabant Cœli Cives. Et ecce! ceteris barbaris crudelior miles, Germani caput obtruncat. Ponè Landoladus lanceâ perfoditur, pridie feſti Cathedræ S. Petri Antiochenæ. Sub horam noctis tertiam, à fratribus monaſterij conquiſita, & reperta ſanctorum Martyrum corpora, multis eorum lacrimis, in æde S. Petri ibidem, ſepulta ſunt.

Evoluto anni ſpatio, die Chriſti Domini Natali, lux quædam cœleſtibus radiis ſepulchri locum ambiens, inſolito ſuo ſplendore, ſacrum ſpectantibus horrorem incuſſit. Multis à morte ſua magniſque

fulſit

fulſit miraculis S. Germanus. Vnicum hìc referam. Quidam Cœnobij accola, febrili æſtu correptus, neſcio, quâ in ſanctum Martyrem excitatus fiduciâ, ſuorum manibus geſtari cupit ad illius ſepulchrum, quem ſoſpitatorem ſperabat. In primo templi limine, ſuſpenſum videt, è pariete velut quoddam Anathema, herois fortiſſimi baltheum, Germani, inquam, cingulum (illum ipſum, quem perpetratæ cædis die, fratrum unus per medios hoſtium cuneos perrumpens, vitæ ſuæ ſanctè prodigus, ex impiorum manibus, ſpolium ſacrum lætus ovánſque retulerat, inter ſanctorum pignora religioſè impoſterum, communi fratrum conſenſu, aſſervandum. Huius ergo cinguli pars tincta vino calici infuſo propinatur ægro. Sugit ille pauxillum, & mox non alio medicamento malum pe- *Anno Criſti 600.*

Anno Chriſti 600. nitus abſtergitur. Hæc vetuſtus MS. codex, aliis ſolùm verbis, qui S. Germani vitam ſcribendi argumentum ſuggeſſit. Eandem à ſe olim conſcriptam dedicavit Bolenus Presbyter, Deicolo, Laudemundo, & Nigrofrido, religioſis fratribus, ab ipſis, ut ait, incitatus, qui res geſtas S. Germani oculati teſtes viderant. Duorum ex illis nomina recenſet, Chodoaldum & Aridium. Dictis quoque conſenſiunt Faſti Baſileenſes, & Lectiones Proprij ad XXI. Februarij.

Quæ verò dicta ſunt hactenus de duobus Germani Magiſtris, Modoaldo & Arnulpho; quorum alter, eius pueritiam primâ virtutum ſemente & morum decenti compoſitione inſtituerit; alter, documentis aſceticis excoluerit Adoleſcentem, potentem habent Adverſarium, Cardinalem Baronium. Tantus ille Author in Notis Martyrologij ad

gij ad 12. Maij, S. Modoaldum, circa annum, 720. floruiſſe affirmat. S. Arnulphus verò, cùm facilè octoginta annis antè, id eſt, anno 640. Vitâ exceſſerit, prout idem tradit Baronius ex Sigeberto in iiſdem Notis ad 18. Iulij, quì fieri poſſit, ut noſter S. Germanus, adhuc puer, S. Modoaldo Epiſcopo, formandæ teneriori ætati, traditus ſit? ac deinde primùm, Vitæ Religioſæ ſe mancipârit, operâ & manuductione S. Arnulphi? quod tamen aſſerit Proprium Baſileenſe, & eam ob cauſam nonnullis ſuſpicionem erroris movit. Sed quamvis recurrentibus aliàs ſæpe Chronologicis tricis enodandis immorari propoſiti non ſit noſtri, libeat tamen etiam audire breviter, quod hac in re Scriptores eruditionis minimè vulgaris afferunt, ad eorum certè confirmationem, quæ in Proprio Baſileenſi legimus, *Anno Chriſti 600*

Anno Chriſti 600. mus, & ex communi paſſim opinione accepimus.

Eſto igitur: vixerit S. Modoaldus circa annum 720. At verò, ſi, quod certum eſt, ætatem ille propiùs ad annum centeſimum produxerit; & inſuper, ſi S. Arnulphus Metenſis Epiſcopus, non anno 640. ſed primùm ſedecim pòſt annis, quàm ſe abdicaret Epiſcopatu, anno nempe 656. obierit in eremo, quemadmodum Petrus Cratepolius Franciſcanus in Germaniæ Epiſcopis contra Baronium tradit: liquidò conſtat, non octoginta, ut vult Baronius, ſed tantùm ſexaginta quatuor annos inter utriuſque ſancti obitum interceſſiſſe, atque eodem tempore, pluriúmque annorum ſpatio vivere potuiſſe: intra quod S. Germanus, ab uno puer bonas cum virtute litteras, ab altero adoleſcens Religioſæ vitæ tyrocinium doctus ſit. Ad hæc,

Iodocus

Iodocus Coccius Societatis IESV, vir comprimis eruditus, in Auguralibus Collegij Molshemiani, pag. 238. affirmat, Modoaldum, vivente adhuc Dagoberto I. huius nominis Francorum Rege, utique jam Epiſcopum, conſecrâſſe apud Treviros, ædem B. Virgini Sacram, quam Irmina Dagoberti filia condiderat in horreo Dagobertino, & ipſe Dagobertus magnis Vectigalibus locupletaverat. Hic autem Rex, teſte Gordonio, apud Coccium, diem ſupremum explevit anno 644.: cui proinde, duodecim minimùm annis ſuperſtitem fuiſſe oportet S. Arnulphum, ut qui anno 656. in eremo vitam finiit. Ex quo rurſus apparet luculenter (quidquid ſit de obitu S. Modoaldi, quem ſuprà Baronius retulit ad annum 720. repugnante utique Coccio & aliis Auctoribus, qui Modoaldum iam ante annum *Anno Christi 600.*

Anno Chriſti 6oo. annum 644. vivente adhuc Dogoberto, fuiſſe Epiſcopum ſcribunt) ab anno ſaltem 644. uſque ad annum 656. Arnulphum & Modoaldum ſimul vixiſſe: cur ego S. Germanus intra duodecim annos, utriuſque diſcipulus eſſe non potuerit, ita ut ab uno, annorum ſucceſſu, in alterius ſcholam gradum fecerit? Deinde, minimè cogimur dicere, S. Modoaldum, Epiſcopum jam fuiſſe, quandò Germanus, puer adhuc in ipſius curam conceſſit: quamvis Baſileenſe his utatur verbis. *Puer S. Modoaldo, eiuſdem Urbis Epiſcopo erudiendus traditus eſt.* Illa, inquam, verba explicari poſſint per quandam verborum ampliationem; ut ille nempe iam perhibeatur Epiſcopus, qui poſt aliquot primùm annos id decus conſecuturus erat. Quæ ſanè phraſis & loquendi modus

modus non inuſitatus eſt ſcriptoribus in vitis Sanctorum. Quod ſi tamen aliquis cõtendere velit acriùs, imperante Dagoberto, cuius auſpiciis B. Virginis ædes Treviris conſecrata ſit, iam ante 644. Epiſcopi decoratum fuiſſe inſignibus; nec ego repugnem, quin, ultro conceſſerim abſque piaculo, S. Modoaldum ante annos longe plures eâ dignitate fulgere potuiſſe, adeoque Germani pueritiam inſtituiſſe jam Epiſcopum. Qua in re nitor authoritate Ioannis Trithemij, qui apud Franciſcũ Guillimannum de Epiſcopis Argentinenſibus, ubi de S. Amando loquitur pag. 81. aſſerit: conſilio & ope B. Modoaldi Archiepiſcopi, Dagobertum Francorum Regem, ante annum 637. in Treverorum Diœceſi fundâſſe monaſterium Delegienſe ordinis S. Benedicti. Quod ſi verum eſt, negabit utique Trithemius *Anno Christi 600.*

Baro-

Anno Chriſti 600. Baronio, obiiſſe Modoaldum primum anno 720. niſi concedere velit, illum in Archiepiſcopi dignitate vixiſſe annis propè centum. Sed de hac controverſia plus ſatis; neque ſaltem, ut oſtendimus, ullum erit periculum erroris, ſentire cum Proprio Baſileenſi, de S. Germano martyre à ſanctiſſimis duobus Epiſcopis, diverſis quidem temporibus, optimè inſtructo, antequam Luxovium concederet ad B. VValdebertum Abbatem, cuius imperio, ut vidimus, Germanus & ipſe titulo Abbatis, Grandis-vallis monaſterio præeſſe juſſus eſt, quod munus ut geſſit diu ſapienter, ita martyriò ſanctè terminavit. Quo verò favore fuerint proſecuti Principes maximi, monaſterij Grandis-vallis incolas, ſatis conſtat ex ampliſſimis tabulis ritè confectis, ſuper donatione & raris privilegiis eidem ſacro loco conceſſis.

conceſſis. Carolomannus Francorum & Longobardorum Rex ſub annum Chriſti 770. Iura omnia & immunitates à Pipino Patre ſuo aliiſque Regibus Cœnobio Grandisvallis indultas, confirmavit, gravibus minis in eos intentatis, qui fiſci regii vel alia quavis de cauſa & prætextu, monaſterio eidem, vectigalis aut exactionis onus capitarium vel quodvis aliud imponerent. Lotharius Ludovici Pij filius, ſancito diplomate VIII. Calend. Septemb. Imperij 10. Regni Italici 30. Francici 10. Chriſti anno 849. in ſuo montis Romarici palatio, eadem privilegia perpetuò durabilia eſſe voluit. Quam nempe gratiam impetravit ab Imperatore Luidfridus Comes, Grandis-vallis Protector, Cæſari percharus, tum ob propriam virtutem, tum ob natalium præſtantiam: fuit enim Auſtraſiæ Regis avuncu- *Anno Chriſti Lcc.*

Anno Chriſti 600.

lus (ut patet ex iiſdem litteris) & Hugonis genitor, quem Lazius Comitem Egisheimienſem appellat. Carolus Craſſus, in Grand-vallenſe monaſterium beneficentiâ vinci noluit ab aliis Regibus; nam præter ea, quorum iam mentionem fecimus nuper, maximè de S. Himerij cella, pagum Bidaunis & Richonvillar, auctarium novum adiecit.

Quæ quidem bonorum poſſeſſio Religioſis viris quieta permiſſa eſt, donec Rudolphus I. Burgundiæ Rex, fruſtra repugnante Arnulpho Aucupe Imperatore, regnum illud anno 888. occuparet. Quo tempore Luidfridus Comes, ſupremo Monaſterij dominatu feudi nomine donatus eſt, hæreditario jure poſteris devincti. Verùm, cùm hi numero aucti pluſquam herili licentià bona monaſterij diſtraherent, Rex Conradus Rudolphi II. filius ac

ſucceſſor

ſucceſſor, retinendæ pietatis avitæ ſtudioſus litem agitandam movit in Comitiis ab Othone, Septemturis aliiſque Imperij optimatibus ſplendidè celebratis, an Monaſterium ſuis olim donatum privilegiis, per decretum regium transferri poſſet, ſine injuria, in propriũ alterius dominium. Vbi de controverſia hac cognovit Imperator & Imperij Senatus, jure nullo id fieri poſſe reſpondit. Quare reſciſſa libertate, quâ Luitfridi Comitis filij abutebantur, Conradus, in ſtatum priſtinum monaſterij jura reſtituit, & novis priora cumulavit, 7. Mart. anno 957. Ea tamen uſui diu eſſe non potuerunt; nam Rudolphus III. Conradi filius, blandis maximè conjugis Hermengardis delinitus precibus, Grandis-vallis Cœnobium B. V. & S. Germano ſacrum unà cum annexis, Adalberoni Epiſcopo Baſi- *Anno Christi 600.*

 leenſi

Anno Chriſti 600. leenſi tranſcripſit, officiorum ſibi præſtitorum plurium nomine, & reſarciendis potiſſimùm damnis, quibus Hunnicâ ſtrage multum imminuta erat ditio Baſileenſis. Tabulæ donationis huius Bruxellis anno 1000. conditæ etiamnum conſervant Epiſcopatui jus in dictum Grandis-vallis monaſterium, S. Himerij, & S. Vrſicini, quâ temporis intercapedine, nunquam abiuncta ſunt à ditione Epiſcopi Baſileenſis.

De tempore verò, quo Monaſterium, è Divi Benedicti ſacro ordine incolis habitatum hactenus, in Eccleſiam Canonicorum Collegiatam commutata ſit, hoc equidem conſtat: Rudolpho III. imperante, de ſede veteri nondũ fuiſſe deiectos anno Chriſti 1000. quemadmodum donationis verba clarè demonſtrant: ut proinde errent, qui Reginæ Berthę Rudolphi huius, quo de agimus, aviæ

aviæ mutationem hanc adſcribunt. *Anno Chriſti 600.*
Longè magis à vero aberrat Stumpfius l.2.c.24. dum percelebris illius monaſterij fundationem eidem Berthæ perperàm in acceptis refert.

Meliori nos coniecturâ nixi, arbitramur,ab Epiſcopis Baſileenſibus Canonicorum Collegium, extincto Monaſterij nomine, inſtitutum fuiſſe, poſteaquam ditioni Baſileenſi adiuncta fuit poſſeſſio Grandisvallis, titulo Præpoſituræ, jam celebris anno 1160. quemadmodum fidem merentur litteræ donationis Friderici Pfirtenſis Comitis in cenſum Canonicorum ibidem cooptati. Cuius Præpoſituræ, proceſſu temporis, eò creverunt opes, ut ſoli Præpoſito quotannis ſeptingenti, Canonicis ſingulis aurei floreni ducenti ex eo pingui beneficio obvenirent. Sed ut floridæ veris opes pruinâ flacceſcunt aut diſpereunt,

Anno Chriſti [illegible] ita bellorum nexu unius ex alio, depopulationibus & incendiis longè acciſa eſt, & in vix ullum contracta numerum tanta auri copia; ita quidem, ut anno 1487. Præpoſitus triginta, Canonici verò ſeptem numero, ſinguli viginti aureos, non plures, annuo cenſu perciperent. Ita Innocentij VIII. bulla: Gravia deinde paſſi ſunt damna bello Habſpurgico anno 1271. & Helvetico, ſub Ioanne de Vienna Epiſcopo.

Anno 1504. Sabbatho ante Dominicam Lætare, ſacri Cineres SS. Martyrum Germani & Randoaldi, qui ſub altari ſummo templi Monaſterienſis, pio cultu frequentati & patratis miraculis celebrati quieverant annis permultis, Raymundi Cardinalis & Romani Pontificis Legati juſſu & auctoritate, in alium tranſlati ſunt locum, qui ad publicam venerationem accommodatior

foret,

foret, ſingularibus noxarum expiandarum indultis, câ occaſione conceſſis, Baſileæ 16. Aug. anno Chriſti 1504. *Anno Chriſti 600*

Vltimis denique temporibus, quibus Calviniſtarum Iconomachorum furor nihil intentatum reliquit, ut maiorum ſuorum religionem radicitus ex toto orbe, & ipſa ſi poſſet, hominum memoria expungeret, ne illi, qui nuper in S. Himerij oſſa ſævierant, in SS. Martyres Germanum & Randoaldum, nihilo mitiores, rabiei ſuæ ſatis parentarent, tacito ſanctóq; factum coſilio RR. DD. M. Cornelij de Liechtenfels Archidiaconi, Germani Gern, Cuſtodis, Ioannis Henrici Halblüz, & Caſparis VVagner Delſpergenſis, (qui omnes Canonici erant Monaſterij Grandis-vallis) ut veneranda ſanctorum pignora, Margaritas pretioſas à furentium veſania ſubducerent

Anno Chriſti &c. Delemontum, nemine alio in conſcientiam tranſlationis admiſſo, ut eò tutior, quò ſecretio foret. Sanctè præterea ſibi invicem polliciti, nulla muſſitatione quidquam propalandum, niſi de unanimi quatuor hanc rem arbitrantium conſenſu, juramento adſtricti, hæc ipſa eſſe SS. Martyrūm Germani & Randoaldi lipſana, conteſtarentur.

Anno 1571. VIII. Iunij templum Monaſterij fulmine exuſtum eſt, ære campano liquefacto. Poſt quas demum calamitates, & religionis in mutilata regione, metamorphoſi, Canonici Delemontum commigrârunt.

RACH-

RACHNACARIVS

Anno Chriſti 640.

Baſileenſis Epiſcopus.

IV.

AD infulas Baſileenſes aſſumptus eſt Rachnacarius, in Luxovienſi Cœnobio antè Monachus, & diſcipulus S. Euſtachij ſive Euſtaſij, cuius vitam ab Abbate Iona conſcriptam refert Surius & Lippeloo ad 29. Martij. Ex quo eodem Abbate Iona, Cæſar Baronius tom. 8. ad annum Chriſti 615. de Rachnacario noſtro luculenter agit. Vnde, facile eſt colligere, qua ætate curârit Eccleſiam Baſileenſem, ſi Divi Columbani in Burgundiã adventum, repetamus. Ex Hibernia patrio ſolo, cum B. Gallo in Gallias profectus S. Columbanus, Mauritio imperante ſub annum 592. in Burgundia ſu-

Anno Chriſti 640. periore, Luxovienſe monaſterium extruxit, ſingulari Theodorici Regis indulgentiâ, quemadmodum teſtatur Regino non vulgaris Scriptor. Anno vigeſimo póſt, ut oſtendit Baronius tom.8. ad annum 612. Brunechtildis invidentiâ, neſcio quâ S. Columbanum faſtidiens, technis ſuis & frandulentis precibus impotens ſui femina, ut muliebris ſuada maritorum animos nimis uxorios utramvis in partem verſare novit, tantum effecit apud Theodoricum Regem, ut vir innocens in exilium proſcriberetur. Exulem recepit Italia, & Luxovienſe Cœnobium exulis in abbatis munere ſucceſſorem, gentilem ſuum Euſtachium ſive Euſtaſium, non niſi violenter à Patre ſuo Columbano abſtractum. Eo deinde familiariter uſus eſt Clotharius II. rex Francorum, qui ſublato Theodorico rege, eiúſque liberis Galliæ

regnum

regnum occupavit, anno 614. Porro Euſtaſius uſque adeo vitæ exemplo & accuratiſſima regulæ Monaſticę obſervãtia paſſim celebrabatur, ut Luxovij 600. alumnis, iiſque eximiis pietatis cultoribus præeſſet. Hos, ut par erat, magni omnino fecit Clotharius II. ita ut plures, ipſo annitente, præclariſſimis Infulis condecorarentur. Recenſet ex illis, ſcriptor Ionas in vita S. Euſtachij, Chagnoaldum Epiſcopum Lugduni. Acharium Viromandorum, Rachnacariũ Auguſtuduni & Baſileæ &c. Fuit ergo Rachnacarius Epiſcopus, regnante in Gallia Clothario II. eiúſque filio Dagoberto, qui Patri ſuccedens Gallias minimum annis 14. feliciter rexit. *Anno Chriſti 640.*

Et quamvis poſt Rachnacarium, nullius Epiſcopi nomen Vrſtiſius & M. SS. codices exprimant ante Vvalanum, qui primus Baſileæ ſediſſe nota-

Anno Chriſti 640. notatur poſt annum 748. non tamen ideo ſeriem Epiſcoporum interruptam fuiſſe arbitrandum eſt, cùm in his locis Chriſtianam viguiſſe pietatem hoc ſæculo, multa doceant argumenta. Certè is tum erat PP. Benedictinorum Zelus & ſtudium in propaganda religione, ut ſolum monaſterium Luxovienſe plures idoneos Epiſcopatibus adminiſtrandis ſuppeteret (prout memorant antiqui Scriptores) & ſanctitate vitæ conſpicuos, Vrſicinum, S. Germanum Martyrem, Rachnacarium, alios, qui apud Rauracos veræ religionis plantaria ſtrenuè coluerunt Acceſſit ea regum Franciæ munificentia, Dagoberti præſertim, quæ ſanè Eccleſiarum & Epiſcoporum dignitatem labefactari minimè pateretur. Certè Dagobertus anno Chriſti 644. regni 14. ſubactis aut pacatis vicinis regionibus, magnam apud

apud poſteros promeritus laudem, univerſas penè Galliæ Eccleſias patrimonij ſui hæredes fecit, ut loquitur Baron. tom. 8. ex Aimonio lib. 4. c. 30. Sed eius liberalitas ſe viſa eſt effudiſſe in Argentinenſem, cuius fundator à Cratepolio lib. de Germ. Epiſcopis nominatur, facta per ipſum ditionis Argentinenſis arce Iſenburgo, Rubeaco, &c. Quam regis beneficentiam non immeritò deprædicârunt olim Argentinenſes Epiſcopi, Amandus, Arbogaſtus, Florentius. Templa inſuper in Alſatia, viciniſque locis excitata, & copioſis ditata proventibus. Præter Dagobertum verò, munificentiâ excelluit ſingulari Childericus, qui ſub annum 663. fundavit Alſatiæ monaſterium in valle S. Gregorij. Vt de Sigeberto Dagoberti filio nihil dicam, qui & ipſe multa Monaſteria à fundamentis erexiſſe memoratur.

Anno Chriſti 640.

Anno Chriſti 640. ratur. Regiæ pietatis æmulus, Eberardus Dux Sueviæ, & Comes Alſatiæ, Murbacenſis auctor Monaſterij extitit, id impetrante S. Pirminio Meldenſi Epiſcopo, ut teſtatur Hermannus Contractus ad annum 727. Novum deinde illud Cœnobium conſecravit Vvildeginus Epiſcopus Argentinenſis, anno 733. quo ſcilicet anno, Theodoricus II. Childerici frater, Romano I. Abbati jura regalia impertivit. Cuius rei fidem luculentam faciunt variæ in templo & Monaſterij ambitu inſcriptiones. Eiuſdem Cœnobij fundationem tribui quidem comperio S. Pirminio: utique, quia eo impellente, felicibus auſpiciis conditum, quando ex monaſterio Augienſis Inſulæ, odiô Theodebaldi Ducis, exturbatus eſt. Res ab eo geſtas fuſiùs proſequitur Matthæus Raderus Societatis IESV tom. 1. Bavar. Sanctæ. Corpus Sancti Pirminij,

Pirminij, operâ Schvvicardi Comitis ab Helffenſtein fundatoris Novitiatus Societatis IESV Landſpergæ, aſſervatut hodie religioſè, in templò eiuſdem Societatis, Oeniponti. *Anno Christi 640.*

Claruerunt hoc tempore SS. Proiectus & Marinus, & ſimul Martyrij lauream adepti ſunt, circa annum Domini 670. Ita teſtatur Trithemius de viris illuſtribus, & Proprium Baſileenſe ad 25. Ianuarij, cùm eorum aliàs Natalis celebretur. VI. Non. Oct. Martyrium utriuſque, hoc ferè ſenſu, paſſim refertur.

Proiectus in Gallia nobili ſtemmate procreatus apud Arvernos, non ſatis habuit primis annis, & inter periculoſos adoleſcentiæ ſcopulos integritatem animi conſervare, niſi ſimul cum ætate, ſua liberalibus diſciplinis, & longè magìs virtutibus incrementa daret. Præclaras adeo dotes in Proiecto demiratus

Felix

Anno Chriſti 640. Felix Arvernorum Epiſcopus, eum Candinenſi Cœnobio præfecit; futurum inde, poſt obitum ſuum, meritiſſimum & communibus optatum votis ſucceſſorem. In utroq; munere idem manſit Proiectus, hoc eſt Sanctus, induſtrius, fortis: dum nempe & inflammatâ divini verbi prædicatione, & exemplo vitæ admirabili nunquam interrupto præluxit: Parthenonem Deo ſacris Virginibus, Noſocomium ægris erexit ſuis facultatibus: Eccelıæ denique jura propugnavit ſtrenuè. Reducem ex itinere, quod ad Childericum Francorum regem ſuſceperat, ſimúlq; Marinum Abbatem, quem febri malignâ liberatum ſolô crucis ſignô, viæ comitem ſibi adiunxerat, rebus apud regem feliciter confectis, adorti Sicarij crudeliter perimunt. Sed, ut melior vita præclaros martyres, ſic patrati ſceleris maxim-

ximi reos ſuum manſit ſupplicium. *Anno Christi 640.*
Ita enim in ſacrilegos Latrones animadvertit Dei vindicta, ut alter præter animi malè ſibi conſcij lanienam, vivum toto corpore vermibus eſſet pabulum. Alter, fractô brachiô, commiſſum facinus deteſtatus, amariſſimis eluit lacrimis. Sanctorum porrò Lipſana, in ampliſſimo Murbacenſi Cœnobio hactenus cultu religioſo aſſervata ſunt.

Quando autem primò condita, & diu pòſt, ex faucibus Vogeſi montis Thannas tranſlata ſit celebris horum Sanctorum cultu Eccleſia, ita ferè tradit liber Statutorum, ut vocant, Eccleſiæ Thannenſis. *Quamvis de origine pervetuſtæ & celebris Eccleſiæ SS. Proiecti & Marini (vulgus Amarinum vocat) eiúſq, fundatore, nihil ad nos tranſmiſerit oblivioſa antiquitas, probabile tamen*

Anno Chriſt. 640. *eſt, eam cum illuſtri Murbacenſi monaſterio cœpiſſe, circa annum 727. & Collegium hoc intra fauces Vogeſi montis, primitus erectum fuiſſe in agro Murbacenſi, in honorem SS. Proiecti & Marini, quos Arvernis in Gallia circa annum 670. illuſtre Martyrium coronavit, unde locus ille in oppidulum excrevit, & vulgò à Patrono nomen ſortitum eſt S. Amarinum.* Illius privilegia confirmavit peculiari bulla anno. 1430. Martinus V. Pont. uſus operâ ad id negotium exequendum Ioannis à Fleckenſtein, qui pedum Baſileenſe tenuit 1423. & vita exceſſit 20. Dec. 1436. De Collegiatæ porrò illius Eccleſiæ tranſlatione, quæ certis documentis conſtant, ſic habent. Anno 1442. 12. Iulij, ſummo Pontifice Felice V. (Pſeudopapa is fuit) Epiſopo Baſileenſi

leenſi Friderico de Rheno, auctoritate Oecumenici Concilij Baſileenſis (quod tamen Oecumenicum eo tempore iam deſierat eſſe) Collegium ex priſtino ſuæ ſtationis loco, ſolemniter ad S. Theobaldi Eccleſiam tranſlatum eſt Thannas, abſque ulla veterum jurium aut privilegiorum immutatione, & ob cauſam æquiſſimam: ne vetuſta ſcilicet & celebris Eccleſia in patenti campo, tumultibus bellicis illic crebrò ſævientibus, omnino diſſolveretur, ſed in munitum recepta locum, divina officia quietiùs perageret. Tum etiam, quòd ſacra Divi Theobaldi ædes, iam aliàs vulgatiſſimæ famæ, ob prodigia, quæ per ſancti pollicem velut Dei digitum, religioſæ admirationi erant, novum inde eſſet acceptura ornamentum. Benigno intuitu annuit tranſlationi huic Fridericus Romanorum Rex, Auſtriæ

Anno Chriſti 1440. Archidux, confectis hac ſuper re tabulis, ſanctè pollicitus, Eccleſiam multis à ſe auctam privilegiis perpetuo tutandam patrocinio Sereniſſimæ domûs Auſtriacæ, cum & illius ditionis eſſet (tunc temporis) Vrbs Thannenſis. Perfecit deinde illam tranſlationem nomine Baſileenſis Concilij & authoritate, Ioannes S. Martini in montibus, SS. Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinales, de Davaria nuncupatus, Epiſcopo tunc Baſileenſi, Arnoldo à Rhotberg, SS. Theologiæ Doctore, electo 19. Ianuarij, anno 1451. & è vivis ſublato 7. Maij. anno Domini 1458.

V VALA-

VVALANVS *Anno Chriſti 750.*

Baſileenſis Epiſcopus.

V.

QVem Vvalanum alij ſcribunt, primum Epiſcopum Baſileenſem, poſt Adelphium nominat Vrſtiſius, ſub annum 748 & vetus MS. codex aſſerit, ſediſſe, regnante in Gallia Pipino, quem Sueſſione, anno 752. in regem Francorum inunxerat Bonifacius Epiſcopus Moguntinus, juſſu Zachariæ Pontificis, Hilderico, qui ultimus Merovingorum imperavit Francis, in monaſterium detruſo. Quanquam Pipinus, poſt mortem Caroli Martelli, ab anno Chriſti 741. annis circiter undecim, non titulô quidem regiô, at Maior palatij, ſive domus, cognominatus, regnum Franciæ cum regia po-

Anno poteſtate adminiſtrârit, de quo plu-
Chriſt. ra Baron. tom. 9. Atque à Vvalano
750. non interrupto filo continuatur ſucceſſio Epiſcoporum Baſileæ.

760.

BALDEBERTVS.

Baſileenſis Epiſcopus:

VI.

ET hic, circiter annum 760. Pipino regnum Galliæ adhuc moderante, Baſileenſi ſedi præfuit. Vrſtiſius l. 2. c. 8. Stumpf. l. 12. c. 2. ſediſſe ait, Pontifice Paulo I. Stephano IV. Adriano I.

777.

HEICO

Baſileenſis Epiſcopus.

VII.

OMiſſum ab Vrſtiſio Heiconem Vetus MS. codex admittit, Adriano

driano I. Pontifice. Leone IV. Imperatore. Galliæ rege Carolo Magno, anno 777. Nec urget alia ratio, cur à numero Epiſcoporum excludatur. *Anno Criſti 777.*

V V A L D O. 800.

Baſileenſis Epiſcopus. VIII.

PEr varios dignitatum gradus ſedem Baſileenſem conſcendit Vvaldo. Primùm enim, Abbatem fuiſſe Augiæ divitis, annis 20. Cœnobij illius Annales referunt, Hermannni Contracti teſtimonio in Chronic. Ticinenſem ſubinde Antiſtitem vidit Italia. Eum denique ad Infulas Baſileenſes anno, circiter, 800. promovit Carolus Magnus, cui à ſacris confeſſionibus tunc temporis erat. Memorant tamen, illum anno 806. abdicatâ monaſterij &

Anno Chriſti 800. Epiſcopatûs curâ, ob neſcio quas Eginonis Conſtantienſis Epiſcopi machinationes, in S. Dionyſij monaſterium ſe Pariſios contuliſſe, privatam ducturum vitam turbidis minùs obnoxiam moleſtiis. Ita Stumpſius l. 12. c. 23. Caſparus Bruſchius ex citatis annalibus Hermanni Contr. ad dictum annum 806. Nec infrequens fuit hoc ævo, cùm per Europam doctrinâ & ſanctitate floreret S. Benedicti familia, ex Cœnobiis poſtulari Antiſtites. Sic Rhabanum, ex Abbate Fuldenſi, Epiſcopum accepit Moguntia. Sic Salomō, priùs Abbas S. Galli, aſcitus eſt in Epiſcopum Conſtantienſem, ut habet Chronicon illius Eccleſiæ, editum anno 1627. à M. Iacobo Merck, qui addit, ex eodem monaſterio S. Galli, ad Epiſcoporum munus evectos fuiſſe Eginonem & Vvolfleonem. Erentridum denique, anno

736. Sidonium, anno 746. Ioannem *Anno* 760. ex Abbatia Augiæ divitis, Epi- *Chriſti* ſcopatum Conſtantienſem ſimul cum Abbatia adminiſtrâſſe.

HETTO, 810.

SIVE HEYTO,

AVT OTHO I.

Baſileenſis Epiſcopus.

IX.

HEtto Vvaldonis in Abbatia Augienſi & Epiſcopatu Baſileenſi ſucceſſor, Carolo Magno à conſiliis, gravibus Imperij nomine perfunctus eſt Legationibus. Anno 810. Cùm Nicephorus Imperator pacis inſtaurandæ cauſa Legationem ad Carolum M. Aquiſgranum inſtituiſſet, redeuntibus Legatis additus eſt Hetto Epiſcopus Baſileenſis, Hugo

Anno Chriſti 810. Comes Turonenſis, Argo Foroiulienſis, qui pacis conditionibus Caroli nomine ſubſcriberent. Sed priuſquam hi Conſtantinopolim pervenirent, Nicephoro à Bulgaris cæſo, filius eius Stauratius Latinis infeſtus, nova poteſtate inſoleſcens, Legatos indignè habitos remiſit. Hodœpericum ſive totius itineris rationem conſignavit ipſe Heyto Baſileenſis Epiſcopus. Indignitate rei ob barbarè violatum jus gentibus omnibus ſanctum, vindictam repoſcere non omiſit Carolus, prout exponit Henricus Caniſius,in Antiquitatibus ex Steronis Annalibus. Eventum Legationis huius paulò aliter recenſet Baron: tom 9. ad annum 812. ubi ex Eginhardo in vita Caroli recitat teſtamentum ab eo anno 811. legitimè conditum,coram multis Abbatibus, Epiſcopis, & Comitibus. Inter Epiſcopos quidem nomi-

nominatur Hetto, qui ut gratiâ ſingulari valebat apud Carolum Imperatorem, ita non potuit non applicari ampliſſimis dignitatibus, quas inter eſſet Baſileenſis. Hinc factum, ut in quibuſdam Chronicis, ad annum 803. Carolus Magnus dicatur Baſileenſem & Vvormatienſem Epiſcopatum fundâſſe; quòd nempe jura ipſis regalia contulerit, ut & Principum cum nomine dignitatem. Anno 822. ingraveſcente ætate Hetto, curarum magnitudinem virium defectu exaggerans, Abbatia & Epiſcopatu ſe abdicavit, ſolus ſibi impoſterum moderator. Mortuus anno 830. Ita Regino lib. 2. Hermannus Contractus. Clavo Baſileenſis Eccleſiæ præfuit annis 16. juxta Caſparum Bruſchium in Chronolog. Monaſt. Conſuli etiam poterunt Annales Eremi B. Virg. pag. 7. & 8. *Anno Chriſti 810.*

Heyto.

Anno Chriſti 814. Heytonis Præſulis Baſilcenſis cognatus S. Meinradus (Meginradum alij vocant) è Comitum Sulgenlium ſtirpe, Heytone eiúſque ſucceſſore Erlebaldo patruo ſuo Abbatibus, circa annum 814. in Augienſi monaſterio Regulam Divi Benedicti profeſſus; ac dein in Eremum Helvetiorum ſecedens, annis d: vita reliqua 26. eximias virtutes & vitæ ſanctitatem, auſteritate maxima occultando excoluit: veluti nobiliores gemmæ ſub contemptibili latent involucro. Ita divinis rebus intentum occupant, bipedum nequiſſimi, duo memorum graſſatores, innocentem virum velut concham Deo plenam, & Cœlo maturam incuſſis validè fuſtium ictibus effringunt. Innocenter obtriti mortem ſecutum eſt cœli præmium, nocentes verò ſupplicium Tigurina in urbe, ipſis corvis incondita crocitatio-

ne

ne tantum ſcelus aperientibus, quod ſylvarum opaca non ſatis texerant. Sed ut vitium, ita virtus & ſanctitas celari diu non potuit, quin ſæpe miraculorum radiis ſplenderet. Quibus palàm erumpentibus, Benedictus Pontifex eum Sanctorum Catalogo adſcripſit anno 1039. XXI. Febr. Martyrologium Baſileenſe, Surius, Lippeloo, Baronius in notis ad Martyrolog. Annales Eeremi. Adde & Illuſtriſſimum Rannutium Scotum, in deſcriptione Italica monaſterij Einſidlenſis pag. 83. & Trithemium cap. 219. de viris Illuſtribus, qui ſcripſit Meginradum cæſum anno Domini 816. XII. Cal. Februarij. *Anno Chriſti 814.*

THEO-

Anno Christi 824.

THEODERICVS I.

Baſileenſis Epiſcopus.

X.

ADfuit Bolesheimij Ludovico Pio Imperatori Caroli M. filio, & Diplomati Privilegiorum monaſterij Noviendenſis, & Ebersheimienſis à Ludovico Imperatore conceſſorum ita ſubſcripſit. E*go Theodericus Epiſcopus Baſileenſis ſubſcripſi. Data 3. Novemb. anno 824. Regni Domini Ludovici anno 10.* Baron. tom.9. Ludovici Regis annum decimum refert ad annum Chriſti 823. inde fortè,quòd Carolum Magnum Imperatorem creatum vult anno 800. quem alij anno 801. coronatum ſcribunt.

VDAL-

VDALRICVS I.

Anno Chriſti 824.

Baſileenſis Epiſcopus.
XI.

THeodericus ſucceſſorem nactus eſt Vdalricum, ſi vera narrat MS. codex. Vixit ille plurium Pontificum Romanorum ætatem, Paſchaſij I. Eugenij II. Valentini, & Gregorij IV. Paſchalis quidem obitus refertur à Baronio pridie Idus Maij, anno Ludovici Imperatoris II. Chriſti 824. atque adeo conſectaneum eſt, Theodericum Epiſcopum, poſtquam Diplomati Bolesheimij ſubſcripſit, paulò pòſt vitâ functum fuiſſe. Interfuit Vdalricus dedicationi Eccleſiæ S.Othmari, anno 834. Sepultus denique Vdalricus eſt ad D.Galli, in anteriore crypta Eccleſiæ Baſileenſis. Ita vetus MS. Codex, & Annales S. Galli. De vita autem

& obi-

Anno 824.

& obitu S. Othmari agit Baronius anno 759. tom. 9. Præfuit Cœnobio S. Galli annos 40. obiit exul in parvuula inſula Rheni, prope oppidum Stein, anno 761.

Vdalrici Epiſcopi Baſileenſis coævus vixit Simpertus, natus parentibus Lotharingiæ Duce, & ſorore Caroli M. In Murbacenſi deinde monaſterio, quod Diœceſis Baſileenſis, adeoque Sancti huius memoria huc ſpectat, poſt exacta ſanctè religioſæ vitæ tyrocinia, ceteris exemplo laudabili prȩluxit Cœnobiarcha effectus. Tandem à Carolo M. ad Auguſtanam cathedram promotus, annuente Leone III. in omnibus ſibi ſimilis, hoc eſt, ſanctimoniæ cultor eximius, & patratis poſt ſuam mortem prodigiis illuſtris, de quo Martyrolog. Baſil. anno 830.

Hic Simpertus idem videtur cum illo Auguſtæ Vindelicorum Patrono

trono, cui Nicolaus V. anno 1450. Sancti honores exhiberi indulſit, & ipſe non ita pridem Gregorius XV. Pontifex Max. toti Clero Auguſtano, ac per reliquam Diœceſin, Officium & Miſſam de ſancto hoc Antiſtite facere, arbitrarium voluit. Vide, ſi placet, plura de S. Simperto in Lectionibus II. Nocturni Auguſtanæ Eccleſiæ cum officiis trium Sanctorum Breviario recèns additis anno 1624. Cratepolius item conſuli poteſt de Sanctis Germaniæ, & poſt illum Matthæus Raderus tom. 3. Bavariæ ſanctæ.

VVICHARDVS

Baſileenſis Epiſcopus.

XII.

QVo tempore Sergius Eccleſiæ, Lotharius Imperij gubernacu-

Anno Chriſti 844. lo præſidebat, Vvichardo Præſule gaudebant Baſileenſes. Cùm verò primus Sergij annus incidat in annum Chriſti 844. noſter Vvichardus, is eſſe nequaquam poteſt, qui anno 948. Ingelshemenſi Concilio ſubſcripſit, de quo infrà.

859. # FRIDEBERTVS

Baſileenſis Epiſcopus. *XIII.*

FRidebertus ſive Fredebertus inter alios Tullenſis Concilij Patres anno 859. ad graviſſimas ſacerdotum ac Principum diſſenſiones tollendas allaboravit, ubi propoſita eſt pacis inſtaurandæ & ſtatus Eccleſiaſtici ad meliorem normam reducendi opportuna via, apud Baronium tom. 10. Vetus item MS. codex Fridebertum vixiſſe tradit, Sergio Pontifice, & Ludovico ſecundo Impe-

Imperatore. Stumpfius verò, Ioanne VIII. Nicolao I. Adriano II. Pontificibus, Ludovico II. & Carolo Calvo Imperatoribus. Vltimus Sergio fuit annus 847. primus Adriani 868. & Caroli Calvi 876. *Anno Christi* 875.

ADELINVS,

AVT

ADELVINVS.

Baſileenſis Epiſcopus.

XIV.

BAſileenſe pedum tractavit Adelinus, quo tempote ſceptrum Gallicum circumtulit Carolus II. cognomento Calvus, qui imperij capeſſiverat inſignia 25. Decemb. anno 875. fato inevitabili deponenda anno 877. Stumpfius aſſerit Præſulem Baſileenſium Adelinum, tempore Caroli Craſſi, qui Carolomanno Calvi filio ſucceſſit anno 881

Anno Chriſti 87. imperavitque annos ſeptem. Ex quo proclive eſt inferre Adelvinum Baſileenſem interfuiſſe Synodo coactæ in villa Attiniaco, anno 870. cui præſidebant Remigius Lugdunenſis, Ardvicus Veſontinenſis, Bertulfus Trevirenſis Archiepiſcopi unà cum ſubiectis Epiſcopis, de quibus plura Baronius tomo. 10.

Vitâ functo Carolo Craſſo, anno 888. proximus hæres ſupererat, Caroli Balbi ex altera coniuge filius, qui, quia naturâ ſimplex & inerti genio, adeoque rebus gerendis inhabilis, novandis rebus & turbando Imperio facilem anſam dedit. In Italia quidem Berengarius Dux Forojulienſis, & Guido Dux Spoletanus, omni ope, diverſis quiſque ſtudiis coronam affectârunt. Quam quidem Guidoni Stephanus, Hugoni Formoſus Pontifex non tam impoſuit, quam dignitatem in umbratica

bratica brevitate libandam oſtendit. Arnulphus interim Carolomanni filius, Caroli Simplicis Tutor aut veriùs ſucceſſor, per Germaniam rerum potiebatur: quo tamen fruſtra obtinente, Rudolphus Comes Burgundiæ Tranſiuranæ, ſive Minoris regnum occupavit, regia conferentibus inſignia Agauni Thebææ legionis Martyrio loco illuſtri, Epiſcopis Sedunenſi, Gebennenſi & Lauſannenſi. Rex iam ſalutatus Rudolphus Regiam amœno ſitam loco Paterniaci conſtituit in Aventicis, ſibi & poſteris ſtabilem, habuítque levi operâ obſequentes Sabaudos, Helvetios, & quos alpes inde, hinc Iuraſſus includebant populos. Amicitiam coluit Rudolphus cum finitimis gentibus Rauracis, Burgundis ſuperioribus & Sundgoiis, quorum benevolentiam ſtabiliendo regno neceſſariam per le- *Anno Chriſti 875.*

gatos ſibi conciliaverat. Stetit hoc
Anno Christi 875. regnum ab anno 888. ad annum
1032. ſucceſſione ad poſteros tranſ-
miſsâ, annorū compluriū 144. donec
Rudolphi ultimi caſu penitus ever-
ſum eſt, harúmq; ditionum acceſſu
rurſum crevit Conradi II. Impera-
toris potentia. Ita Guillimannus de
rebus Helvet. l. 2. c. 13. & infrà in Vl-
rico XXV. Epiſcopo Baſileenſi plura.

892. RVDOLPHVS I.

Baſileenſis Epiſcopus.

XV.

NOn ita ſacri Paſtoris officium
ſuſtinuit Rudolphus, hoc eſt,
placidum vitæ genus, quin pro pu-
blica patriæ ſalute militem induc-
ret. Iunctis enim Arnulphi Impera-
toris copiis, armatus cum aliis Prin-
cipibus belli aleam ſubire voluit, at
quæ ſæpe cauſâ belli iniquior cadit.
Tendit

Tendit exercitus in irruentes Germaniæ infeſtos Northmannos, Danos alióſque Boreales populos, & unà Rudolphus in communem & confatalem pluribus aliis Principibus cladem. Calendis Iulij anno 892. acre prælium prope Vvormatiam committitur infeliciter, inclinatâ ad Northmannos victoriâ. Occumbit Rudolphus, Sunderholdus Moguntinus Archiepiſcopus & alij non pauci deſiderati Principes viri. De hac clade referunt Regino, Aventinus lib. 4. Serrarius in Sunderholdo, quem Trithemius in Chronico Hirſaugienſi & Sigebertus Martyrem appellat. Arnulphus redingratis viribus novo militum delectu, in hoſtes movet, eóſque prope Lovanium aſſequutus, tanta ſtrage afficit, ut nonaginta Northmannorum, (centum millia volunt alij) contrucidaret. Idque inauditum *Anno Chriſti* 892.

 ferè

Anno Chriſti. ferè hactenus, ut non niſi unius alteriuſve jacturam de ſuis faceret. Hanc victoriam recenter, uti & præcedentem cladem depinxit Andreas Brunner è Societate IESV celebris ſcriptor tom. 2. hiſtoriæ Bavaricæ.

895. # IRINGVS,

SIVE

FRINGVS.

Baſileenſis Epiſcopus. *XVI.*

IN oppido Tribure (vicus eſt nunc Moguntiam inter & Oppenheimium) operâ maximè Ottonis Moguntini Archiepiſcopi, præſente Arnulpho Rege, celebrata eſt ſynodus Triburienſis menſe Maio, 895. Ita Regino, tomus 2. Concil. & Baron. tom. 9. Ei legitur interfuiſſe Iringus Baſileenſis Epiſcopus. Trithenius

mius etiam luculentam huius Syno- *Anno*
di mentionem facit in Hirſaugienſi *Chriſti*
Chronico, ubi pag. 29. recenſet Ar-
chiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates
aliósque complures, qui interfue-
runt.

ADALBERO I. 905.

Baſileenſis Epiſcopus.
XVII.

ADalberonis huius meminerunt Annales Eremi, ſive Einſidlenſes, hac occaſione. Poſt necem S. Meinradi, inculta, & inquilino vacua manſit Eremus quadraginta annorum ſpatio, donec Benno (Benedictum alij nominant) Burgundiæ regum proſapia illuſtris, Argentinenſis Eccleſiæ, tunc temporis, Canonicus, ad ſolitariam ſanctitatem aſpirans, contemptis dignitatibus, & negotioſam vitã pertæſus, unà cum

Anno Chriſti 905. paucis ſociis, eam Eremi abſtruſam ſolitudinem recolendam, & à renaſcentibus latè dumetis purgandam ſuſcepit, Imperatore Ludovico I V. Benedicto IV. ſummo Pontifice, ſub annum Chriſti 905. Hìc ergo, & collapſam ferè S. Meinradi cellam reſtauravit, & ampliorem ſociis habitationem aptavit, opportuna uſus liberalitate comitum Rapperſvillanorum, in quorum ditione ſita erat Eremus. Anno 915. Vfnovium (inſula eſt lacûs Tigurini infra Rappersvillam) feudi nomine à Seckingenſi Abbatiſſa ad ſuam ſuorúmque commodiorem ſuſtentationem accepit: quo ipſo anno Adalbero Baſileenſis Epiſcopus incenſus cupiditate inviſendi Bennonis cognati ſui, in Eremum ſe contulit. Exceptus ea humanitate, quam admitteret loci auſteritas, cœleſte in terris vivendi genus adeo probavit Adalbero, ut

Benno-

Bennonis domicilio vicum Sirns infra Baſileam ſitum à maioribus ſuis hæreditario jure acceptum omnino conſcriberet. Atque hæc prima fuere prædia, quibus dotata eſt S. Meinradi cella, quæ ut cætera alia, à parvis initiis in opulentam & nobiliſſimam Abbatiam excrevit. Benno deinde ex hac obſcuritate poſtulatus, ut Metenſibus præluceret Epiſcopus, cùm vitia ſubditorum liberiùs inſectaretur, per ſummum ſcelus, ab iiſdem, oculorum & lucis uſura privatus eſt. Plura Guillimannus de illo, in 29. Epiſcopo Angent. *Anno Chriſti 905.*

LANDOLVS, *SIVE* LANDEOLVS. *Baſileenſis Epiſcopus.* *XVIII.* 917.

ADalberoni Landolum alij, Rudolphum alij ſubſtitutum volunt.

Anno Chriſt. 917. ſunt. Eius ætate ſub annum 917. Hungari barbara gens, Ethnicis adhuc cœca ſuperſtitionibus maximâ celeritate incurſantes, Germaniam, Italiam primò, deinde Carinthiam, Bavariam, Franconiam, Saxoniam, Sueviam, Rhenique oras, atque Burgundiam fœdè populati, magnis cladibus affecerunt; ita ut annis 50. impunè & licenter graſſantes ex ipſis Germaniæ viſceribus deturbari minimè potuerint. Quo factum, ut ipſam etiam Baſileam, vacuam incolis, qui ad tutiora montium loca ſe recepiſſent, ferro & flammis devaſtarent. Hermannus Contractus. Baron. tomo 9. Marianus Scotus. Sigebertus.

GVI-

GVILIELMVS I.

Anno Chriſti 917.

Baſileenſis Epiſcopus.

XIX.

HIc Rudolphum II. Burgundiæ Regem, & Burcardum Sueviæ Ducem prælio congreſſos apud Vitodurum, nunc VVinterthur, reconciliavit, & pace initâ Bertham filiam Burcardi Rudolpho matrimoniò copulavit. Ita ſcribit Alphonſus Delbene lib. 1. de regno Burgundiæ, Guillimannus, alij. Atque hæc illa eſt Bertha, quam teſte VVilhelmo Gothardo, plurimi beatam ac ſanctam Reginam nominant nobiliſſimo Sueviæ Ducum ſanguine progenitã, quæ plura deinde Regiæ munificentiæ ac liberalitatis paſſim erexit monumenta, cum laude tantæ virtutis perennatura. Fundavit, ut minora præteream, Collegiatam duo-

Anno Chriſti 917. duodecim Canonicorum Eccleſiam, in valle Ergue, ſive, ſancti Himerij: cùm inaudiſſet, quæ ad ſancti huius invocationem prodigia patrarentur, ut jam ſuprà meminimus. Viſendum illud ædificium, Divi Vrſi Martyris cultu frequentatum, in acceptis Berthæ refertur, quæ pientiſſima Regina, inſtinctu divino reperta aliquot Martyrum Thebæorum corpora altari eiuſdem Martyris intulit; atque adeo Solodorum, oppidum tunc, aut caſtrum non ita celebre, cum omni jure, Canonicorum Collegio devinxit. Paterniaci etiam nobiliſſimum juxtà ac opulentiſſimum Patribus Benedictinis monaſterium erexit; in quo regium ſibi ſuíſque poſteris Mauſolæum ſtaret, ſubiiciens eidem monaſterio, Guillimanno teſte, ipſum oppidum Paterniacum, prono ad hanc pietatem uſa filiorum conſenſu Conradi Regis,

Regis, & Burcardi Lauſannenſis Epiſcopi, quem aliqui perperàm, Veſontinenſem Archiepiſcopum nominant. In ſancto adeo cum ſua Bertha coniugio, Rudolphus II. Burgundiæ Rex, Italiæ regnum pacificè, laudabilitérque geſſit: donec tandem gentis illius mores & inconſtantiam pertæſus, Guidoni Comiti ultrò ceſſit omni Italiâ, pactúſque cum illo, pro Italia Comitatum Arelatenſem retinuit, & quod reliquum fuit vitæ, tranſegit in ſua Burgundia, non ſine opinione ingenti ſanctitatis, quam ei tribuunt illius ævi ſcriptores. Ex hiſce, regiæ ſanctitatis genitoribus, naſci vix alia potuit, quàm peræquè ſancta proles illa, Adelheidis, quæ Lothario poſtea Guidonis Italiæ Regis filio, tum Othoni I. Imperatori nupta, Othonis ſecundi mater, & Othonis tertij avia fuit, ac, dum viveret, eo morum deli-

Anno Chriſti 917.

Anno Criſti 917. delibato flore excelluit, ut illi poſtmodum ab Eccleſia ſupremi honores decreti fuerint; uti teſtantur Einſidlenſium annales, qui etiam jam olim Canonicum officium de ipſa conſcriptum referunt, & cum Othone Magno marito præcipuis illius Cœnobij fundatoribus annumerant. Berthæ denique Reginæ neptis erat ex Conrado Rege filio & Mathilde Galliæ Regis filia, Giſila prudens cognominata, quæ in matrimonium collocata Erneſto Sueviæ Duci, Erneſtum ſecundum & Hermannum Sueviæ etiam Duces peperit. Secundis verò nuptiis juncta Conrado Saliquo Imper. Henricum Tertium quem Nigrum paſſim nuncupant, Imperio dedit.

VVI.

VVICHARDVS II.

Anno Chriſti 948.

Baſileenſis Epiſcopus.

XX.

DE Vvichardo nihil admodum memorabile legitur: hoc ſolum, quòd ille Concilio Ingelheimenſi ob diſſidia inter Hugonem Principem & Arthaldum Epiſcopum Rhemenſem, coacto ſubſcripſerit, anno 948. teſte Bar. tom.9.

LANDEOLVS II.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXI.

VIxit Landeolus, ſi vera eſt, M.S. codicis pervetuſti chronologia, Othonis I. tempora, qui Anno 936. ab Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino, in Germaniæ Regem primùm

Anno Corſti 948. mùm renunciatus, ac dein à Ioanne XII. Imperatoris nomine & Auguſtali coronâ inſignitus, vitam & ſceptrum poſuit anno 973. Eo regnante, ſub annum 948. Hermannus Allemanniæ Dux ludos equeſtres Conſtantiæ ad Acroniũ inſtituit, maximo nobilium & illuſtrium virorum concurſu. Memorantur præter alios, Lancelinus Comes Altenburgicus, Theobaldus Comes Kiburgenſis & Dilinganus, Theobaldus Ferretenſis, VVolfgangus Zolleranus, &c. Ita Guilliman. l. 4. Habſp. c. 2.

950. RVDOLPHVS II.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXII.

OThonis I. & Benedicti V. Pontificis maximi ætas Epiſcopum Baſileenſibus dedit Rudolphum, vel certè

certè, ut vult Stumpfius lib. 12. c 24. Othonis I. & II. tempora; ita qu'dē, ut Rudolphus inter 30. Epiſcopos Concilij Ingelheimenſis præſente Othone I. & Lothario I V. Galliæ rege celebrati numeretur. Circa quod tempus Hungari iterum, ac tertiò Germanicam populabundi & pluribus victorijs emenſi, tandem ab Othone I. omnino profligati ſunt, haud procul Auguſtâ Vindelicorum, reſpirante jam poſt quinquaginta annorum continuas clades Germaniâ, quibus fœdè attrita fuerat; nempe interregno durante, & eorum numero haud modico, qui in ambitioſam maieſtatis umbram, & Imperij inſignia involare ſoli dum vellent, Imperium in plures diviſum factiones, diſcerptúmque penitus labefactabant; ita ut populares civiléſque diſcordiæ, conſpirantibus barbaris, impunè quidlibet *Anno Christi 950.*

Anno Chriſti 950. audendi viam munirent. Poſt mortem enim Ludovici III. (erat is Arnulphi filius) Itali omni ope conati ſunt, ad ſe rurſus Imperium tranſferre, electis in eum finem Proceribus, qui potentiâ & gerendarum rerum uſu præcellerent. Germani verò Principes, vicinorum machinationibus exciti, ut partum decus retinerent, in Conradum Franconiæ Ducem conſpirant unanimes. Illi poſtea Henricus Saxoniæ Dux ſubrogatus, ano 920. huic Otho filius, Magni cognomento à poſteris donatus. Othonem in eadem Imperatoria dignitate conſecuti filius & Nepos Otho ſecundus & Otho tertius, per quos Imperium à Francis hactenus tranſlatum ad Germanos, ab iiſdem conſtanter retinetur. Inter eas bellorum calamitates à Paganis interremptus ſcribitur Rudolphus Epiſcopus, teſte eodem ſæpe

relato

relato M.S. cod. de tempore & cauſa necis non liquet. Sed ut his tenebris ſua non deeſſent ſydera, felicius auſpicium cœpit monaſterium S. Blaſij, per Eremitas nonnullos, qui communicato inter ſe auſterioris vitæ propoſito, ab hominum conſortio ſemoti, procul, in unam ædiculam concederent; ubi animus curis liber, præter Deum Cœlúmque nihil ſpiraret aliud, labore manuum vitæ mortali frugalem victum per intervalla ſuppetente. Animadverterunt deinde, tutiori viâ incedere illos qui tritiori. Quare, S. Benedicti florens inſtitutum amplectuntur. In horum Societatem ſe jungere, placuit Reginberto Baroni à Seldenburen, anno 969. Erat ille Othoni Imperatori ab arcanis conſiliis, & inter belli pericula fortis. Argumento ſit: quòd dum manus ſtrenuè cum hoſte conſereret, in ar- *Anno Christi 950.*

Anno Chriſt. 990. dore pugnæ gregariis ipſe permiſtus, manuum alterâ truncatus ſit. Vnde ſanctius brevi conſilium arripuit, quo, repudiatâ militari & aulicâ, immortalem obtineret faciliùs, ſe ſuáſque facultates Cœnobio penitus addicens. Quare S. Blaſij fundator nominatur in litteris ab Othone Imperatore Veronæ datis anno 963. Verba Imperatoris ſic habent. *Notum eſſe volumus, qualiter nos Cellam in ſilva Schvvartzenvvald à B. Reginberto noviter extructam, Deo & S. Baſilio &c.* Extremum oppetiit diem Reginbertus 29. Decemb. 964. & ab ipſo ſeriem Abbatum S. Blaſij recenſet Vrſtiſ. l. 1. c. 21. Iiſdem temporibus, hoc eſt, anno 973. die 4. Iulij, obiit S. Vdalricus anno ætatis 83. poſtquam Auguſtanam Eccleſiam annis quinquaginta, Apoſtolicâ vigilantiâ ſanctus Paſtor rexiſſet.

rexiſſet. Vdalrico, unicô annô ſu- *Anno*
perſtes vixit S. Conradus Præſul *Chriſti*
Conſtantienſis, ne ſcilicet ab illo diu *950.*
in morte ſepararetur, cui in vita fuerat coniunctiſſimis. Fuit S. Conradus ex Illuſtri Altorfenſium comitum proſapia oriundus, Epiſcopatum iniit anno 934. Cum S. Vdalrico, in Eremo D. Virginis adfuit; quando prodigioſum illud ſacellum (ad quod dedicandum venerat) ab angelis conſecratum eſt. In vita & poſt mortem miraculis clarus, ſacra eius oſſa ingruente Lutheraniſmo aliorſum ablata ſunt. Sed caput eius è Bohemia anno 1606. Conſtantiæ, ingenti gratulatione receptum. Et quia hi duo ſacri Antiſtites, in hanc quoque Diœceſin, ex vicinioribus locis, virtutũ ſuarum, mirificæq; ſanctitatis radios diffuderunt: ideo quotannis, dum illis feſtus dies in orbem redit, venerationẽ tribuit ſingularem Eccleſ. Baſil.

Anno Chriſti 904.

GEBITZO,

SEV

GEBZO,

Comes Altenburgicus.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXIII.

GEbizo ſeu Gebzo, (rectiùs alij Gebhardum vocant) Filius Guntrami Comitis Altenburgici, Alſatiæ & Briſgoiæ Landgravij cognomento divitis, Baſileenſibus Epiſcopus accenſetur à Lazio, Einzegeio, aliis apud Guilliman. lib. 4. Habſpurg. c. 2. ubi ait fundaſſe Cœnobium Altenburgenſe, vulgò VVeiſſenovium, haud procul Ravenſpurgo. Fratres habuit Gunzelinum, Habſpurgicæ gentis propagatorem, Conradum Ergoviæ Comitem, & Bertilonem Dominum in Streichberg. Ioannes Menlius ſcribit, Epiſcopum

ſcopum hunc, Aſceterium Sanctimonialium Sulzbergenſium in Briſgoia condidiſſe, ſub Othone III. qui Imperij gubernaculum moderatus eſt ab anno 984. ad annum 1002. Et ab hoc eodem Othone impetravit Rudolphus ultimus Burgundiæ rex, confirmationem donationis, quâ Epiſcopo Baſileenſi Adalberoni ob ſingularia merita donavit monaſterium Grandis-vallis unà cum ditione integra, illiúſque incolis. Datæ Confirmationis litteræ Bruxellis, anno ſeptimo Imperij Othonis III. Et ex hac donatione liberalitatéque Rudolphi Tertij, & ultimi, qui erat Conradi filius, adeoque Rudolphi ſecundi, Nepos & Abnepos Rudolphi I. Burgundiæ Regum, coniicimus, Rauracos & Baſileam cum omni ditione, Regni Burgundici finibus comprehenſam fuiſſe, eorundémq; Regum liberali ope, Baſileenſium *Anno Chriſti 984.*

Anno Chriſti 984. Epiſcoporum opes creviſſe. Etenim, cùm Grandi-valle acceſſit vallis S. Himerij, S. Vrſicini, aliæque plures ditiones, quæ etiamnum Epiſcopis Baſileenſibus antiquo jure parent. Liberalior verò fortè fuit Rudolphus in pias cauſas, quòd nullum hæredem procrearit. Improlis quippe vixit cum Hermengarde prima coniuge, cuius mentio fit in inſtauratione monaſterij S. Mauritij apud Agaunum in Valleſia. Sed nec fœcundiorem ipſi thorum effecit Hildegardis altera coniux, de qua meminerunt vetera monimenta Eccleſiæ S. Anatolij Salinis in Burgundiæ comitatu, aliæque Cluniaci fundationes. Accedebat favor ſtudiúmque, in priſtinum ſtatum reſtituendi Epiſcopatum Baſileenſem, Hungarorum, Nortmannorúmq; irruptionibus penè collapſum.

ADALBERTUS,

SIVE

ADALBERO II.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXIV.

Anno Chriſti 1002.

GEnus & ſtemma Natalium Adalberti, ut & priorum Antiſtitum, haud ſatis exploratum habetur. Putem ego, quòd nobiles & illuſtres, Eccleſiaſtici præſertim viri, modeſtia tunc inſigni, gentilitia nomina ſubticerent. Conſtat ſaltem, fuiſſe percharum Burgundiæ Regibus Adalbertum, & longè magis, Henrico Imperatori, qui anno 1002. in locum Othonis Tertij, ex Duce Bavariæ ad Imperium evectus, cum S. Kunegunde illibatũ puritatis florẽ tumulo intulit, æternũ immarceſſibilem: ita ut ſolus ab univerſa Eccleſia, inter omnes Imperatores, ſan-

ctis

Anno Chriſt 1004. ctis adnumeretur; ſolus Virginitatem, rarum decus cum matrimonio copularit. Anno 1004. liberalitatem ſuam effundere cœpit S. Henricus in Adalberonem, juris ipſius faciens ſylvas Alſatiæ, in Vtonis Comitatu, a Pyrſa flumine, inter Ilum & Rhenum ad ſex milliaria protenſas. Ea conditione, ut venatio ſoli Epi-
1008 ſcopo permitteretur. Anno 1008. eidem Adalberto donavit ſylvas in Briſgoia à vico Toginga, uſq; Gundelfingam & Betzingam. Stumpf. lib.12. c.18. addit Zvvingenſem, Pfeffingenſem & Lanſerenſem tractum. Ita Guillimannus de reb. Habſpurg. lib.4.c.3. Sed nec intra hos limites conſtitit Henrici Imperatoris munificentia. Cathedralem inſuper ædem Baſileenſem, Hungarorum vaſtatione labefactatam diruit, ut novam, paſſus aliquot à Rheno remotam erigeret.

Hanc

Hanc anno 1019. 11. Octob. Adalbero ſolenni ritu conſecravit, honoríque dicavit Chriſti Reſurgentis, S. Crucis, Deiparæ Virginis Mariæ, S. Ioan. Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ, Thomæ, omnium denique Apoſtolorum, ac Sanctorum. Feſtivæ inaugurationi aſtitere, præter Henricum Imperatorem, Popo Trevirenſis Archiepiſcopus, Vernerus Argentinenſis (Richardum & Ruthardum nominat Chronicon Conſtantienſe) Rudolphus Conſtantienſis, Hugo Genevenſis, Hugo Lauſannenſis, Hericus Epiſcopus & Imperialis Cameræ Cuſtos, cum aliis Principibus viris. *Anno Chriſti 1019.*

Poſt peractos conſecrati templi ſolemnes ritus, pro concione dixit Adalbero, de reverentia ſacris rebus exhibenda; Eccleſiaſtico decimarum jure; de gratuita peccatorum relaxatione, quam ipſe ad diei celebritatem

Anno Chriſti 1019. britatem indulgeret, aliáque plura copioſè differens. Nec minùs liberales ſe exhibuerunt, qui coràm intererant, ſeptem alij Epiſcopi, ſpirituales theſauros impertiti, eorum bono, qui ſua præſentiâ & pio cultu lætitiam publicam augerent. In principe porrò templi arâ placuit includere decenter, & ad venerationem proponere ſacra lipſana, donum itidem Henrici Imperatoris. Erant illa de ſanguine Chriſti prodigioſo: de ligno ſanctæ Crucis: de ſepulchro Chriſti: de veſtibus B.V. Additi præter hæc, cineres, aliæve ſimiles reliquiæ ſacræ SS. Petri & Pauli, Andreæ, Ioannis Baptiſtæ, Thomæ, Mauritij, Clementis Papæ, S. Sebaſtiani, Cyriaci, Bonifacij, Meinradi, Coſmæ & Damiani, Sylveſtri, VVilibaldi, Felicitatis, Iulianæ, Helenæ, Ceciliæ, Agathæ, & Gertrudis, cum aliis multis. Et ne quid ad ornamentum

namentũ deeſſet, in interiori templi parte; dandoDei çauſa inexhauſtus & infatigabilis erat Henricus. Inter alia namque magni pretij, è privato ſuo ſacello ad hanc Baſilicam protulit tabulam è ligno ſcitè elaboratam, laminis obductam aureis, & quæ ſeptem aureorum millia facilè æquaret. Cernuntur in ea expreſſę ſanctorum effiigies, quos ſingulari pietatis teneritudine colebat: quatuor nempe Archangelorum, Gabrielis, Michaëlis, Raphaëlis, Vrielis, & S. Benedicti. Medium tenebat Chriſti pendentis in cruce ſimulachrum, ad quod utrimque, corpore ad modeſtiam compoſito ingeniculati flectebant Coniuges, Henricus & Kunegundis. Hæc tabula, è naufragio religionis, illæſa manſit, Baſileæ; ubi etiamnum aſſervari cum aliis templi ornatibus, dicitur. Coronam inſuper argenteam è chori *Anno Christi 1019.*

Anno Chriſti 1019. ri pariete ſuſpendi juſſit, perpetuum anathema, & certum Henrici, ſe Imperiúmque Deo devoventis ſymbolum. Æs denique companii quod ipſiuſmet S. Henrici nomen .. ferret; ſellam auro multo, argento & ebore illuſam, paludamentumque, ſeu togam quandam Imperatoriam. Enituit par religioſiſſimi Imperatoris liberalitas in Ratisbonenſem Eccleſiam, Paſſavienſem, Friſingenſem, Merſenburgenſem, Salisburgenſem & Bambergenſem: Quam poſtremam à fundamentis ipſis excitavit, ubi etiam anno 1024. cum Coniuge ſuâ terræ mandatus eſt.

Sed ut ad Adalberonem noſtrum redeamus; ſubſcripſit ille privilegio, quod Henricus, poſt inaugurationem Auguſtalem Romanæ Eccleſiæ conceſſit anno 1014. de quo Bar. tom. 2. Sub idem tempus, Eze-

Ezelinus, Eccleſiæ Cathedralis Baſileenſis Præpoſitus, Parochiale templum extruxit, nomini SS. Bartholomæi & Leonardi dicatum 1033. 2. Novembris. Fundum anno 1002. petenti donârat Adalbero, civibus conſentientibus. *Anno Christi* 1019.

Henrico vitâ functo ſubrogatur in imperatoria dignitate Conradus ob egregias dotes, ipſiuſmet Henrici votis dum viveret, ad eam capeſſendam deſignatus. Conrado data coniux Giſela Conradi Burgundiæ Regis filia, primô matrimoniô nupta Erneſto Sueviæ Duci. Novus inde hic Imperator conſtituit Epiſcopum Adalberonem, Protectorem & advocatum naſcentis Abbatiæ S. Blaſij in Hercynia, datis Vlmâ litteris 14. Maij anno 1025. Imperij ſui 1. Quo jure uſi ſunt Epiſcopi annis centum, donec tandem propter quorundam Præfectorum, 1025.

K impe

Anno Chriſti 1025. imperioſam nimis & iniquam dominandi libidinem, poſt aliquot diſceptationes, ex pacto, ſe eo jure abdicàrunt. Non multò pòſt, è vita ceſſit Adalbero, ac in poſteriore Baſileenſis Eccleſiæ cryptâ conditus.

Ætatem hanc illuſtravit Hermannus cognomento non vano Contractus, utpote ab ineunte ætate membris contractus. Patre VVolferado Comite Vœringenſi natus, inſtitutum S. Benedicti profeſſus in Augiæ divitis Cœnobio, ſub Bernone Abbate, ut ipſemet in ſuo Chronico teſtatur apud Henricum Caniſium. Antiq. lect. Scientiarum amplitudinem facili operâ complexus eſt, Deipara Virgine divinæ ſapientiæ Pallade, aſpectabili ſpecie hanc pio Clienti ſuo aptitudinem impertitâ. Græcè, Latinè & Arabicè non vulgariter doctus, Orator, & Poëta, Aſtronomus, Muſicus, Chronographus

phus, Philoſophus, Theologus; *Anno Chriſti 1025.* verbo, ſcientiarum omnium in uno Contracto videre erat Compendium. Ita Chronic. Conſtantienſe pag. 97. Trithem. in Hirſaugienſi Monaſterio, alij conteſtantur. Atque huius Hermanni pium ſecuta ſtudium Eccleſia toties congeminat ad Dei matrem, celebres illas, ut vocamus, Antiphonas, *Salve Regina, & Alma Redemptoris*, teſte eodem Chronico Conſtantienſi Berchtoldi, Trithemio, Benzonio in Magnificat, Gavanta in Rubric. Breviar. de Antiphon. B. Virg. Obiit tandem Hermannus multis clarus ſcriptis, anno Domini 1054.

VDALRICVS II.

Anno Christi 1025.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXV.

POſt Adalberonem, Vdalrici electionem Cleri ſuffragiis factam 1025. haud ſatis probavit Imperator Conradus: donec Vdalricus ad redimendam vexationem, valentiſſimo apud multos remedio, numeratâ pecuniæ ſummâ benevolum ſibi animum Imperatoris efficeret. Verùm, tactus religione facti huius Imperator, edixit ſanctè, ſe in poſterum nunquam pecuniarias largitiones pro ullius confirmatione Præſulis accepturum. Quod & ipſe, filiúſque Henricus Tertius, fide integra præſtiterunt. Exemit tunc Conradus Baſileam à juriſdictione regni Burgundici, eámque deinceps Imperio annexam voluit Etenim,

cùm

cùm Rudolphus ultimus Burgūdiæ Rex, ſenio gravis, & improlis, Principes ſuos rebelles expertus eſſet; in Henricum ſecundum Imperatorem, quod auxilio ſibi præſtò advolans impenſas non parvas feciſſet, jus omne Regni ſui contulit. Sed, ut verſatile humanum ingenium: Henricô è vivis ſublatô, Rudolphum facti mox pœnituit, utpote cuius dignitas, non ſatis tutò ſtaret cum hac intempeſtiva & duræ ſolum neceſſitatis abdicatione. Quare, jus priſtinum præcipiti conſilio abiectum requirebat Rudolphus, cùm interim alia ex parte Otho Campaniæ comes Rudolphi ex ſorore nepos, in id regnum ſe intrudere moliretur. Anno deinde 1027. die Paſchatis, Auguſtalibus inſignibus decoratus Conradus à Ioanne XIX. ut injuriam æquiſſimo juri meditatam propulſaret, exercitum in Germaniam

Anno Christi 1025.

Anno Chriſti 1025. reduxit, habitíſque ſequenti anno Auguſtæ & Vlmæ Comitiis; ubi quoſdam per Sueviam in ſua abſentia res novas machinatos commeritis mulctâſſet pœnis, Baſileam profectus eſt, atq; ibi à Rudolpho Rege amanter exceptus. Hìc utrumque inter, annitente potiſſimùm Auguſta Giſela Rudolphi ex ſorore nepte, ita convênit, ut poſt mortem regis, in eius jura ſuccederet Imperator. Anno 1032. mortem præſentiens Rudolphus, ex pacto coronam & inſignia Burgundiæ, Conrado, eiúſque filio Romanorum Regi tranſmiſit. Hinc Cæſares ſibi titulum vendicant & regni Burgundici & Arelatenſis, quod annis 144. propriis ſuberat regibus. Poſt aliquod temporis intervallum Cæſar Othonem comitem regnum occupare conantem armatâ manu coercuit, imperata facere coactum, & ita in fide Cæſaris reten-

retentum Burgundiæ regnum, quod ca ætate, præter ſuperiorem Burgundiam, Sundgoiam quoq; & totum Baſileenſem Epiſcopatum ad Rhenũ uſque & fluvium Eſchibach continebat. Trans Iuram inſuper Nuithoniam, uſque ad flumen Vrſam, Valleſiam, & magnam Sabaudiæ partem. His terris firmato Conradus Imperio, Epiſcopo Baſileenſi, argenti-fodinas in Briſgoia dono conceſſit. Anno 1028. de obitu Vdalrici nihil apud Scriptores notatum reperio.

Anno Christi 1028.

BRVNO

Baſileenſis Epiſcopus. *XXVI.*

1030.

BRunonem Vdalrico ſubiicimus, veterem M.S. codicem, & Stumpfium ſecuti, imperante tum Conrado; poſt quem, cùm Henricus filius,

Anno Chriſti 1050. anno primùm 1039. Imperij habenas ſuſceperit, præponendus Theoderico videatur Bruno, licet ab Vrſtiſio eidem poſtpoſitus. Brunonem in anteriori Eccleſiæ crypta ſepultum conſtat; de die mortis & anno minimè liquet, niſi quòd anno 1041. ſucceſſorem ipſius Theodoricum jam Baſileenſium Antiſtitem claruiſſe extra dubium & controverſiam ſit. Memoriam illius facit Necrologium Baſileenſe 27. Maij.

1041. THEODORICVS II.

Baſileenſis Epiſcopus. *XXVII.*

THeodorico Comitatum Provincialem in Siſgovia unà cum annexis Iuribus tranſcripſit Henricus Tertius anno 1041. Complectitur ea ditio dynaſtias minores Farnſpergam, Honbergam, Liechſtalium,

ſtalium, Vuallenbergam, Havvenſtei- *Anno*
nium, cum reliquis ad Pyrſam locis, *Christi*
& eo vico, ubi olim ſtetit Auguſta
Rauracorum, vulgò Augſt. Ita cum
Vrſtiſio lib.1. c.10. ſentit M.S. codex.
Tanti beneficij, ut par erat, non immemorem & ingratum ſe exhibuit Theodoricus; dum collectam ſuis impenſis idoneam militum manum auxiliarem Imperatori ſubmiſit, adverſus Hungaros, ad inſtar hydræ per ſua damna recreſcentes. Quo facto Theodoricus devincto ſibi magis Cæſaris animo, privilegiorum confirmationem obtinuit anno 1048. Et is ipſe eſt Theodoricus 1048.
qui celebri ſubſcripſit Inſtrumento, quo B. Hugo I. Archiepiſcopus Biſontinus, variis fundis & cenſibus dotavit Canonicos S. Pauli VII. Calend. Aprilis, anno 1044. Imperij Henrici Tertij decimo ſexto, quemadmodum tradit Iacobus Chiffletius in Veſontione ſua. K 5 Hoc

Anno Chriſti 1044. Hoc ipſo anno Vrbs Delſperga, ut ſcribit Groſſius Baſileenſis in Epitaphiis, penitus conflagravit, ſalvis ab incendio tribus ſolùm domibus, cuius etiam fidem adſtruit quantumvis longè recentius Epigramma frontiſpicio Curiæ Civicæ adſcriptum. Et quia, dum Baſileæ præſideret Theodoricus, Leo IX. Pontifex Max. ex ipſa Dioeceſi Baſileenſi oriundus, ab Infula Tullenſi, ad tiaram Pontificiam evectus eſt, piaculo fuerit, hoc loco tanti viri mentionem diſſimulaſſe.

Leo IX. Bruno antea dictus, natione Germanus, gente Alſata à pleriſque ſcriptoribus habetur. Otho Friſingenſis quidem è nobili Francorum natum proſapia tradit. Deſiderius, Caſſinenſis Abbas, & ſubinde Romanus Pontifex, Victor III. regio ſtemmate illuſtrem fuiſſe Leonem ſcribit. VVibertus Archidia-

conus, ipſius Leonis coætaneus & *Anno*
familiaris, rerúmque ab eo geſtarum *Chriſti*
luculentus ſcriptor, diſertis aſſerit 1048.
verbis, Leonem Conrado Salico, adeoque & Henrico Tertio conſanguinitate proximum fuiſſe. Referre placet ſingillatim de illo, quæ veriora exiſtimem, tum ex Baſileenſi Proprio tum ex Iacobo Menelio, qui ſub finem ſuperioris ſæculi, Maximiliani Primi Imperatoris, luſtratis variorum locorum Epitaphiis, aliiſque priſcis monumentis, Principes Auſtriaci & Habſpurgici ſanguinis, Sanctitate celebres collegerat. Patrem itaque habuit Leo, Hugonem Dagſpurgi, & Egishemij Comitem, qui vitâ piè tranſactâ, in S. Truthdberti apud Briſgovios ſepultus eſt: matrem Heidvvidem, ſive Heilvvigem, filiam Theodorici Comitis ab Egisheim, ſeu Egſen, in ſuperiore Alſatia, ad radices Vogeſi montis,
infra

Anno Chriſt. 1048. infra Rubeacum antiquiſſimum oppidum; vbi hodiéque viſuntur tres arces, vel potiùs arcis tripartitæ rudera, vulgò drey Egſen. His adeo ſanguine Regio illuſtribus, ſimúlq; religioſiſſimis parentibus natus Bruno, quinquennium ubi attigit, Bertholdo Tullenſium Epiſcopo erudiendus traditus eſt: quo doctore, in litterarum ſtudiis, quas admitteret ætas, & morum honeſtate inſigniter profecit. Ex his auſpicatiſſimis principiis, in quem olim virum poſſet evadere puer Bruno, non vanâ utique coniecturâ præſcius Cacodæmon, ſpem de illo conceptam in tenera radice maturè præcidere ſtatuit. Poſt aliquot annos Adoleſcens factus dulciſſimos parentes in Caſtro Egiſheim degentes reviſerat, ut illos diu abſens, & animum moleſtâ ſtudiorum contentione occupatum, præſentiâ ſuâ recrearet; & en, vete-

veteratorius Ceraſtes in omnes excubans nocendi occaſiones, in faciem dormientis teterrimum bufonem immittit: quæ obſcœna & venenifera beſtia adeo pertinaciter mediæ faciei incubuit, ut Brunoni, lethali venenô doloris ſenſum maximum, & omnibus, qui prodigioſum hoc monſtrum ſpectabant, horrorem incuteret incredibilem. Sed adverſus has Cacodæmonis inſidias, præſentem Cœlum opem minimè diſtulit; dum Benedictum Patriarcham ab addictiſſimo cliente ferventer imploratum, abſtergendæ lui, & revellendo facilè bufoni medicum ſubmiſit præſentiſſimum. Emenſo deinde ſtudiorum curriculo, Tullenſibus Canonicis adlectus, & ſacris ordinibus inſignitus, ob præclaras animi dotes, & quibus eminebat virtutes, ab omnibus ſuſpiciebatur, ipſi Cæſari Conradô, con-

Anno Chriſti 1048.

Anno Chriſti 1048.

conſanguineo ſuo, ſingulariter charus, cuius operâ & conſiliis, quamdiu Bruno in aula verſatus eſt, perfrequenter utebatur. Quare, vitâ functo Hermanno Tullenſi Epiſcopo ſuccedit diſcipulus, licet diu multúmque tergiverſatus, rerum utique longè maiorum à Deo deſtinatus Adminiſter, ad quas iam velut in propiore tyrocinio ſe gnaviter præpararet. Novo munere & dignitate tantum abeſt, ut inſoleſceret Bruno, quin potiùs illa priſtina conſectandæ mirificæ ſanctitatis exercitia, novo ſtudio & contentione plurimùm augeret; quæ luculenter enituit in reducenda ad veterem rigorem diſciplina Eccleſiaſtica & Monaſtica, ſublevandis ære alieno, aut dotandis antiquioribus, maximè, quæ inſtituti D. Benedicti, monaſteriis. Apoſtolorum ſacra limina, annis, quoad licuit, ſingulis præſens vene-

venerari ſolitus, gravem aliquando morbum in itinere contraxit: at rurſus alius è Cœlo Patronus ipſi conſpicuus S. Blaſius Martyr, clientem ſuum, virum Mundo neceſſarium diuturniori vitæ ſervavit incolumem. Tanti itaque viri, Romam uſque divulgatâ claritudine, cùm Romanus Clerus Succeſſorem perquireret ſubrogandum Damaſo ſecundo vitâ functo circa annum milleſimum quadrageſimum nonum, præ Leone aptiorem digniorémque nullum invênit. Quamobrem miſſis ad Imperatorem Henricum Legatis, de hac ſua unanimi in Brunonem conſpirantium voluntate edocent, & magno Eccleſiæ bono Summum Pontificem pronunciant. Et verò Cœlum manifeſtè approbare viſum eſt hanc electionem, modulato ſuaviter in via quæ ad urbem ducit, Angelico concentu: *Ego co-*

Anno Chriſti 1045.

gito

Anno Chriſti 1049.

gito cogitationes pacis, & non afflictionis. Atque ubi ſummæ in terris dignitatis capeſſivit inſignia, univerſæ Eccleſiæ Tutelarem Archangelum ſingulariter ſibi demereri ſtuduit, piè inſtitutâ peregrinatione ad Garganum montem, religioſâ S. Michaëlis veneratione frequentatum. Vnde, credo, rerum quas aggreſſus eſt, ſucceſſus, qui eſſe potuit optabilis. Illud comprimis evicit admirabili felicitate & ſapientiâ, ut auctoritatem illam, quam in eligendis Pontificibus Romanis, annis centum & quinquaginta uſurpârent, ſibique plures arrogârant Imperatores, ad Clerum denuò, prout exigebat rei æquitas, ex integro revocaret, Iurium Eccleſiæ vindex imposterum acerrimus. In eam poſtea curam totus incubuit, ut Eccleſiæ ſtatum, tum in Oriente, tum in Occidente, ſanè afflictiſſimum, om-

ni

ni ope ſublevaret. Miſſis Conſtantinopolim Legatis, Imperatorem primò ſibi conciliavit, idque ab eo conſecutus eſt, ut abuſus periculoſi, & inſperſa paſſim errorum Zizania ſtirpitus abolerentur. Eius auſpiciis, & pari fortunâ, debellata Berengarij hæreſis, ſublatæ bonorum Eccleſiaſticorum, rerúmque ſacrarum Simoniacæ nundinationes, obtrita enormium criminum Seminaria. Secundâ legatione demandatâ Friderico Cardinali, Godefridi Lotharingiæ Ducis fratri, qui poſtea & ipſe fuit Romanus Pontifex Stephanus IX. diſſidentes inter ſe Imperatorem & Patriarcham Conſtantinopolitanum ita emollivit, poſt Synodum ritè peractam, ut ambo, Clerô reliquò & populô ſummorum capitum exemplum ſequentibus, ſacco & cinere piè ſordidi, ad Legatum procederent, in eòque A-

Anno Chriſti 1054

Anno Chriſti 1049. poſtolicam Auctoritatem proni agnoſcerent & veneraretur. Eodem interim ſtudiò Occidentales Eccleſias complexus eſt, ſuam præſertim Tullenſem Eccleſiam, cuius titulum ſemper retinuit. Ne verò deciperetur abſens, aut lentiùs procederent, quæ animo ſanctè agitabat, nullis tutiùs, quàm propriis fidebat oculis. Et hinc tot laborioſæ viſitationes Eccleſiarum, celebratæ Synodi & Concilia, quibus ipſe, quantum quidem fieri potuit, præſidebat: ut nempe ſummi Paſtoris veneranda in terris Maieſtas pondus & momentum maius ſuâ præſentiâ afferret. Ita Moguntiæ in Germania, Rhemis in Gallia, Romæ, Papiæ, ac Vercellis in Italia coactis Synodis, collapſam ueterem diſciplinam ubique pro viribus erigebat. Pace inter Andream Hungariæ Regem & Imperatorem compoſitâ,

diſcor-

diſcordes quamplurimos alios Principes Chriſtianos concordiæ firmo vinculo obſtrinxit. Fidem propè ſuperant, quæ præſtitit Pontifex verè Optimus ac Maximus, partim in Vrbe, partim in ſuis Viſitationibus, in quibus templa, ſacella, altaria innumera ſuis ipſe manibus, præſertim in Diœceſi Baſileenſi conſecrabat. Inter alias, S. Martini ædem in Hypolskilcha, ſeu Sundersdorff. Extat hodiéque ſacellum infra tres antiquas, ſed pridem dirutas arces in clivo Vorburgico, ad extremos vallis Delſpergentis ſive Delemontanæ fines, quod tradunt jam tum memoriæ S. Himerij Confeſſoris ab hoc S. Leone fuiſſe conſecratum. In Germaniam ſecundò profectus, inſpexit ſingulariter in Tullenſem Eccleſiam, & Natale ſolum, aliáque pia loca olim à ſe fundata, aut dotata, relictis ubique pietatis & munifi- *Anno Christi 1049.*

Anno Chriſti 1049. centiæ nobiliſſimis monimentis. VVoſenhemij, Monaſterio ad ſanctam Crucem, Sanctiſſimæ crucis ſegmentum, & in Monte-Olivarum vulgò Olenberga prope Reiningam in Alſatia, S. Romani Martyris ſacras donavit reliquias. Corpora Sanctorum, Remigij Rhemenſis, & VVolfgangi Ratisbonenſis Epiſcopi; ſancti etiam Aurelij, Hirſaugiæ; ſanctæ Richardis Andlaviæ, aliorúmq; honorificentiori loco reponenda de tumbis ſuſtulit. Sed ut ea, quorum meminimus, ad Religionis incrementum, optatū ſibi finem perduceret, non Eccleſiaſticos duntaxat cenſus, ſed relictas à maioribus ſuis fortunas gentilitias impendit liberaliter, non conſanguineis, ut fit, aut Nepotibus ditandis, ſed Eccleſiis ac Cœnobiis dotandis. Certè in Alſatia duo illa Monaſteria ſanctæ Crucis, & Montis-Olivarum à fundamen-

damentis ædificâſſe, ſed & prædiis, *Anno Chriſti 1049.*
ampliſſimiſque proventibus opulentaſſe creditur. Præter hoſce publicos labores, quibus ſe totum impendere viſus eſt, ſui interim minimè obliviſcebatur: ſed privatos intra parietes, divinis commentationibus & ferventi orationis ſtudio, animum Deo arctiùs coniungebat: Et ne quod pretioſi temporis diſpendium ullum faceret, ſi quid vacuum habuit, utiliter illud Græcorum errores confutando, vel muſicos & Eccleſiaſticos de Sanctis modulos componendo, vel aliâ ſimili honeſtiſſimâ occupatione, nunquã otioſus, impendit. Neque ſilentio prætermittam, tantæ illum beneficentiæ, támque celebrem hoſpitalitatis famâ fuiſſe, ut eius domus peregrinis ac pauperibus ſemper pateret. Quem Leonis in egenos commiſerationis affectum placuiſſe

Anno Chriſti 1030. anno primùm 1039. Imperij habenas ſuſceperit, præponendus Theoderico videatur Bruno, licet ab Vrſtiſio eidem poſtpoſitus. Brunonem in anteriori Eccleſiæ crypta ſepultum conſtat; de die mortis & anno minimè liquet, niſi quòd anno 1041. ſucceſſorem ipſius Theodoricum jam Baſileenſium Antiſtitem clarui ſſe extra dubium & controverſiam ſit. Memoriam illius facit Necrologium Baſileenſe 27. Maij.

1041. THEODORICVS II.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXVII.

THeodorico Comitatum Provincialem in Siſgovia unà cum annexis Iuribus tranſcripſit Henricus Tertius anno 1041. Complectitur ea ditio dynaſtias minores Farnſpergam, Honbergam, Liechſtalium,

ſtalium, Vuallenbergam, Havvenſteinium, cum reliquis ad Pyrſam locis, & eo vico, ubi olim ſtetit Auguſta Rauracorum, vulgò Augſt. Ita cum Vrſtiſio lib.1. c.10. ſentit M.S. codex. Tanti beneficij, ut par erat, non immemorem & ingratum ſe exhibuit Theodoricus; dum collectam ſuis impenſis idoneam militum manum auxiliarem Imperatori ſubmiſit, adverſus Hungaros, ad inſtar hydræ per ſua damna recreſcentes. Quo facto Theodoricus devincto ſibi magis Cæſaris animo, privilegiorum confirmationem obtinuit anno 1048. Et is ipſe eſt Theodoricus 1040. qui celebri ſubſcripſit Inſtrumento, quo B. Hugo I. Archiepiſcopus Biſontinus, variis fundis & cenſibus dotavit Canonicos S. Pauli VII. Calend. Aprilis, anno 1044. Imperij Henrici Tertij decimo ſexto, quemadmodum tradit Iacobus Chiffletius in Veſontione ſua.[c]

Anno Christi

Anno Chriſti 1044. Hoc ipſo anno Vrbs Delſperga, ut ſcribit Groſſius Baſileenſis in Epitaphiis, penitus conflagravit, ſalvis ab incendio tribus ſolùm domibus, cuius etiam fidem adſtruit quantumvis longè recentius Epigramma frontiſpicio Curiæ Civicæ adſcriptum. Et quia, dum Baſileæ præſideret Theodoricus, Leo IX. Pontifex Max. ex ipſa Diœceſi Baſileenſi oriundus, ab Infula Tullenſi, ad tiaram Pontificiam evectus eſt, piaculo fuerit, hoc loco tanti viri mentionem diſſimulaſſe.

Leo IX. Bruno antea dictus, natione Germanus, gente Alſata à pleríſque ſcriptoribus habetur. Otho Friſingenſis quidem è nobili Francorum natum proſapia tradit. Deſiderius, Caſſinenſis Abbas, & ſubinde Romanus Pontifex, Victor I I I. regio ſtemmate illuſtrem fuiſſe Leonem ſcribit. VVibertus Archidia-

conus, ipſius Leonis coætaneus & familiaris, rerúmque ab eo geſtarum luculentus ſcriptor, diſertis aſſerit verbis, Leonem Conrado Salico, adeoque & Henrico Tertio conſanguinitate proximum fuiſſe. Referre placet ſingillatim de illo, quæ veriora exiſtimem, tum ex Baſileenſi Proprio tum ex Iacobo Menelio, qui ſub finem ſuperioris ſæculi, Maximiliani Primi Imperatoris, luſtratis variorum locorum Epitaphiis, aliiſque priſcis monumentis, Principes Auſtriaci & Habſpurgici ſanguinis, Sanctitate celebres collegerat. Patrem itaque habuit Leo, Hugonem Dagſpurgi, & Egishemij Comitem, qui vitâ piè tranſactâ, in S. Truthdberti apud Briſgovios ſepultus eſt: matrem Heidvvidem, ſive Heilvvigem, filiam Theodorici Comitis ab Egisheim, ſeu Egſen, in ſuperiore Alſatia, ad radices Vogeſi montis, infra

Anno Chriſti 1048.

Anno Chriſti 1048. infra Rubeacum antiquiſſimum oppidum; vbi hodiéque viſuntur tres arces, vel potiùs arcis tripartitæ rudera, vulgò drey Egſen. His adeo ſanguine Regio illuſtribus, ſimúlq; religioſiſſimis parentibus natus Bruno, quinquennium ubi attigit, Bertholdo Tullenſium Epiſcopo erudiendus traditus eſt: quo doctore, in litterarum ſtudiis, quas admitteret ætas, & morum honeſtate inſigniter profecit. Ex his auſpicatiſſimis principiis, in quem olim virum poſſet evadere puer Bruno, non vanâ utique coniecturâ præſcius Cacodæmon, ſpem de illo conceptam in tenera radice maturè præcidere ſtatuit. Poſt aliquot annos Adoleſcens factus dulciſſimos parentes in Caſtro Egiſheim degentes reviſerat, ut illos diu abſens, & animum moleſtâ ſtudiorum contentione occupatum, præſentiâ ſuâ recrearet; & en, vete-

veteratorius Ceraſtes in omnes excubans nocendi occaſiones, in faciem dormientis teterrimum bufonem immittit: quæ obſcœna & venenifera beſtia adeo pertinaciter mediæ faciei incubuit, ut Brunoni, lethali venenô doloris ſenſum maximum, & omnibus, qui prodigioſum hoc monſtrum ſpectabant, horrorem incuteret incredibilem. Sed adverſus has Cacodæmonis inſidias, præſentem Cœlum opem minimè diſtulit; dum Benedictum Patriarcham ab addictiſſimo cliente ferventer imploratum, abſtergendæ lui, & revellendo facilè bufoni medicum ſubmiſit præſentiſſimum. Emenſo deinde ſtudiorum curriculo, Tullenſibus Canonicis adlectus, & ſacris ordinibus inſignitus, ob præclaras animi dotes, & quibus eminebat virtutes, ab omnibus ſuſpiciebatur, ipſi Cæſari Conrado, con-

Anno Chriſti 1048.

venerari ſolitus, gravem aliquando *Anno*
morbum in itinere contraxit: at *Chriſti*
rurſus alius è Cœlo Patronus ipſi, *1045.*
conſpicuus S. Blaſius Martyr, clientem ſuum, virum Mundo neceſſarium diuturniori vitæ ſervavit incolumem. Tanti itaque viri, Romam uſque divulgatâ claritudine, cùm Romanus Clerus Succeſſorem perquireret ſubrogandum Damaſo ſecundo vitâ functo circa annum milleſimum quadrageſimum nonum, præ Leone aptiorem digniorémque nullum invênit. Quamobrem miſſis ad Imperatorem Henricum Legatis, de hac ſua unanimi in Brunonem conſpirantium voluntate edocent, & magno Eccleſiæ bono Summum Pontificem pronunciant. Et verò Cœlum manifeſtè approbare viſum eſt hanc electionem, modulato ſuaviter in via quæ ad urbem ducit, Angelico concentu: *Ego cogito*

Anno Chriſti 1049. *gito cogitationes pacis, & non afflicti-onis.* Atque ubi ſummæ in terris dignitatis capeſſivit inſignia, univerſæ Eccleſiæ Tutelarem Archangelum ſingulariter ſibi demereri ſtuduit, piè inſtitutâ peregrinatione ad Garganum montem, religioſâ S. Michaëlis veneratione frequentatum. Vnde, credo, rerum quas aggreſſus eſt, ſucceſſus, qui eſſe potuit optabilis. Illud comprimis evicit admirabili felicitate & ſapientiâ, ut auctoritatem illam, quam in eligendis Pontificibus Romanis, annis centum & quinquaginta uſurpârent, ſibique plures arrogârant Imperatores, ad Clerum denuò, prout exigebat rei æquitas, ex integro revocaret, Iurium Eccleſiæ vindex imposterum acerrimus. In eam poſtea curam totus incubuit, ut Eccleſiæ ſtatum, tum in Oriente, tum in Occidente, ſanè afflictiſſimùm, omni

ni ope ſublevaret. Miſſis Conſtantinopolim Legatis, Imperatorem primò ſibi conciliavit, idque ab eo conſecutus eſt, ut abuſus periculoſi, & inſperſa paſſim errorum Zizania ſtirpitus abolerentur. Eius auſpiciis, & pari fortunâ, debellata Berengarij hæreſis, ſublatæ bonorum Eccleſiaſticorum, rerúmque ſacrarum Simoniacæ nundinationes, obtrita enormium criminum Seminaria. Secundâ legatione demandatâ Friderico Cardinali, Godefridi Lotharingiæ Ducis fratri, qui poſtea & ipſe fuit Romanus Pontifex Stephanus IX. diſſidentes inter ſe Imperatorem & Patriarcham Conſtantinopolitanum ita emollivit, poſt Synodum ritè peractam, ut ambo, Clerô reliquo & populô ſummorum capitum exemplum ſequentibus, ſacco & cinere piè ſordidi, ad Legatum procederent, in eòque A- *Anno Chriſti 1045.*

Anno Chriſti 1049. poſtolicam Auctoritatem proni agnoſcerent & veneraretur. Eodem interim ſtudiò Occidentales Eccleſias complexus eſt, ſuam præſertim Tullenſem Eccleſiam, cuius titulum ſemper retinuit. Ne verò deciperetur abſens, aut lentiùs procederent, quæ animo ſanctè agitabat, nullis tutiùs, quàm propriis fidebat oculis. Et hinc tot laborioſæ viſitationes Eccleſiarum, celebratæ Synodi & Concilia, quibus ipſe, quantum quidem fieri potuit, præſidebat: ut nempe ſummi Paſtoris veneranda in terris Maieſtas pondus & momentum maius ſuâ præſentiâ afferret. Ita Moguntiæ in Germania, Rhemis in Gallia, Romæ, Papiæ, ac Vercellis in Italia coactis Synodis, collapſam ueterem diſciplinam ubique pro viribus erigebat. Pace inter Andream Hungariæ Regem & Imperatorem compoſitâ, diſcor-

diſcordes quamplurimos alios Principes Chriſtianos concordiæ firmo vinculo obſtrinxit. Fidem propè ſuperant, quæ præſtitit Pontifex verè Optimus ac Maximus, partim in Vrbe, partim in ſuis Viſitationibus, in quibus templa, ſacella, altaria innumera ſuis ipſe manibus, præſertim in Diœceſi Baſileenſi conſecrabat. Inter alias, S. Martini ædem in Hypolskilcha, ſeu Sundersdorff. Extat hodiéque ſacellum infra tres antiquas, ſed pridem dirutas arces in clivo Vorburgico, ad extremos vallis Delſpergentis ſive Delemontanæ fines, quod tradunt jam tum memoriæ S. Himerij Confeſſoris àb hoc S. Leone fuiſſe conſecratum. In Germaniam ſecundò profectus, inſpexit ſingulariter in Tullenſem Eccleſiam, & Natale ſolum, aliáque pia loca olim à ſe fundata, aut dotata, relictis ubique pietatis & munifi-

Anno Chriſti 1049.

 centiæ

Anno Chriſti 1049. centiæ nobiliſſimis monimentis. VVofenhemij, Monaſterio ad ſanctam Crucem, Sanctiſſimæ crucis ſegmentum, & in Monte-Olivarum vulgò Olenberga prope Reiningam in Alſatia, S. Romani Martyris ſacras donavit reliquias. Corpora Sanctorum, Remigij Rhemenſis, & VVolfgangi Ratisbonenſis Epiſcopi; ſancti etiam Aurelij, Hirſaugiæ; ſanctæ Richardis Andlaviæ, aliorúmq; honorificentiori loco reponenda de tumbis ſuſtulit. Sed ut ea, quorum meminimus, ad Religionis incrementum, optatū ſibi finem perduceret, non Eccleſiaſticos duntaxat cenſus, ſed relictas à maioribus ſuis fortunas gentilitias impendit liberaliter, non conſanguineis, ut fit, aut Nepotibus ditandis, ſed Eccleſiis ac Cœnobiis dotandis. Certè in Alſatia duo illa Monaſteria ſanctæ Crucis, & Montis-Olivarum à fundamen-

damentis ædificâſſe, ſed & prædiis, amplißimiſque proventibus opulentaſſe creditur. Præter hoſce publicos labores, quibus ſe totum impendere viſus eſt, ſui interim minimè obliviſcebatur: ſed privatos intra parietes, divinis commentationibus & ferventi orationis ſtudio, animum Deo arctiùs coniungebat: Et ne quod pretioſi temporis diſpendium ullum faceret, ſi quid vacuum habuit, utiliter illud Græcorum errores confutando, vel muſicos & Eccleſiaſticos de Sanctis modulos componendo, vel aliâ ſimili honeſtiſſimâ occupatione, nunquã otioſus, impendit. Neque ſilentio prætermittam, tantæ illum beneficentiæ, támque celebrem hoſpitalitatis famâ fuiſſe, ut eius domus peregrinis ac pauperibus ſemper pateret. Quem Leonis in egenos commiſerationis affectum placuiſſe

Anno Chriſti 1049.

Anno Chriſti 1049.

ſibi vehementer, probavit ipſe Chriſtus evidenti teſtimonio. Leproſus quidam, aſpectu fœdus, (fuit ipſe Servator hoc ſchemate perſonatus) pro foribus aliquando repertus à Leone, benignè deinde ab illo & tenerrima Charitate habitus ac in proprium deportatus lectulum, evanuit derepente ex occulis, & licet poſtea diligentiſſimè conquiſitus, nuſpiam repectus eſt. Leo denique rebus plurimis, teſte Baronio tom. 2. fortiter pro Deo & Eccleſia geſtis, miraculis etiam clarus exceſſit è vita Romæ, anno Chriſti 1054. 15. Aprilis, quo die in Faſtis Eccleſiaſticis recolitur annua eius memoria, cùm non omnino ſex annis Romanam ſedem tenuiſſet, ad magna plus conferente animo & virtute, quàm tempore. Conditus eſt in Baſilica S. Petri, juxta tumulum Gregorij Magni; cui vet⁹ Poëta hoc Epitaphio parentavit.

Victrix

Victrix Roma dolet Nono viduata Leone *Anno Chriſti* 1049.
Ex multis talem non habitura Patrem.

Nec immeritò, Ioannes Franciſcus à Schônavv Baſileenſis Epiſcopus, piò ductus Zelo, ad propagandum honorem huius ſanctiſſimi Pontificis, de Germanicis Eccleſiis bene & ſingulariter meriti, mandavit omnibus ad Horarum Canonicarum recitationem obligatis, in ſua Diœceſi, de hoc ſancto Leone, Officium Eccleſiaſticum recitandi.

BERINGERVS 1057.

Baſileenſis Epiſcopus. *XXVIII.*

THeodoricum in Epiſcopali munere ſecutus eſt, anno circitèr 1057. quo tempore defuncto Henricô

Anno Chriſti 1057. ricô III. Henricus IV. puer adhuc, in ſpem regni, ſub Materna Agnetis cura educabatur. Is ætate jam maturior anno 1061. vel, ut Chronicon Hirsfeldenſis Monachi, & Palmerius ſcribunt, anno 1063. Italiæ Epiſcopus & Germaniæ Proceres Baſileam evocat, ubi novitate tituli Patritius Romanorum ſalutatus Imperator, & Carolus Parmenſis Epiſcopus, PſeudoPapa conſtitutus, quem Honorium ſecundum nomine per Legatum Bucconem Halberſtattenſem Epiſcopum, Romæ mox præſentârunt, ea mente, ut Alexander II. jam electus legitimè, de ſede Petri deturbaretur. Hinc ſchiſma, hinc dolenda belli cauſa; quâ quidem prævaluit initio PſeudoPapa, ſed tandem triumphante meliori cauſâ, uſurpatam impiè dignitatem cum titulo deponere, quietámque impoſterum Alexandro permittere compulſus

pulſus eſt Carolus. Plura Baron. ad annum 1061. tom. 2. Interim Rudolphus, Benzelini Filij, Guntrami Nepos, Alſatiæ Landgravius circa annum Domini 1060. fundavit Cœnobium Othmarsheimienſe, teſte Lazio lib. 8. fol. 411. Anno Chriſti 1090. deceſſit inclytus Comes Hugo à Dagſperg, Dominus Alſatiæ, de quo Caſparus Bruſchius in Chronolog. Monaſt. *Anno Chriſti*

BVRCARDVS *A B* HASENBVRG. 1072.

Epiſcoporum Baſileenſium.
XXIX.

PRimus ferè eſt, cuius gentilitium nomen poſteris innotuit. Domus horum Baronum ſita erat in monte Iura (vulgò Rippetſch) non procul Lucellà, cuius adhuc rudera

Anno Chriſt. 1072. cerni poſſunt. Spectat nunc illa ad Præfecturam Bruntrutanam Epiſcopi Baſileenſis. Inauguratus Epiſcopus anno 1072. Burcardus, turpi & ipſe notâ infectus eſt, utpote, qui ſubſcripſerit VVormatienſi Synodo contra Gregorium VII. Pontificem, Henrici Imperatoris partes cum aliis Schiſmaticis ſecutus. Propterea Gregorius partium Imperatoriarum ſectatores ſacrorum fecit extorres piorum congreſſu interdicens: à qua ſolemnis ignominiæ nota, tandem iniquum Cæſaris ambitum damnans, & ſeriâ tactus pœnitudine, cum aliis Germaniæ Principibus Oppenheimij congregatis, per legatos Apoſtolicos abſolutus eſt. Quā rem proſequuntur Scriptores, Lambertus Schafnaburg, Chronic. Hirſſeldenſis Monachi, Sigonius, Baron. tom. 2. ad annnm 1077. & 1085. Brevis tamen ea Burcardi reſipiſcentia fuit:

fuit: nam in priſtinum ille revolutus ſtudium nefarium, unà cum Henrico, in Synodo Quendelburgenſi anno 1075. rurſùm damnatus ac à piorum communione expunctus, duobus nempè pòſt annis quàm fundaverat Patribus Benedictinis juxta normam Cluniacenſem, Prioratum S. Albani extra muros, attributâ veteri Baſileâ, quæ tum magnitudine ſua non niſi pagi nomen merebatur. Fundationem hanc confirmârunt Eugenius & Cœleſtinus Pontifices, Fridericus Barbaroſſa 29. Iulij anno 1151. & ante ipſum Henricus I V. & V. Imperatores. Eam verò fundationem Eccleſiæ S. Albani jam ante annum 1095. contigiſſe, patet ex ipſo Vrbani II. diplomate eiuſdem anni 17. Calend. Aprilis, ut videre eſt in Bibliotheca Cluniacenſi fol. 515. Stumpfius l. 12. c. 24. ait, anno 1085. templum S. Albani

Anno Chriſti 1072.

Anno Chriſti 1072. bani parochiale jam fuiſſe, antequam Patres Benedictini eum locum incolerent.

Eadem ætate aſſurgere cœpit Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ extra urbis mœnia apud Pyrſam fluvium, ob ſilicum copiam illic loci, ad Lapides dictum, ut ſcilicet aſylum foret proſtitutæ libidinis mulierculis, quæ, ut peccatricem inconſultò ſecutæ fuerant, anteactæ vitæ noxas deteſtarentur exemplo reſipiſcentis.

Quo anno ultimùm vixerit Burcardus, incompertum, Indubium
1103. eſt, eum vixiſſe adhuc anno 1103. quo Monachis S. Albani advocatum conſtituit Rudolphum Comitem ab Hohenberg in locis ciſ-Rhenanis: in tranſ-Rhenanis verò Theodoricum Dominum in Rôttelen. ' Extat in Bibliotheca Cluniacenſi Pariſiis ex M. SS. Codd. edita, anno 1614.

in

in vita S. Hugonis I. Abbatis Cluniacenſis & Abbatum ſerie ſeptimi, chartâ Burcardi Baſileenſis Epiſcopi, quâ monaſterium S. Albani in ſuburbio Baſileenſis Civitatis ſuper ripam Rheni, cum jurium & bonorum appendice, eidem Hugoni Abbati ipſiúſque ſucceſſoribus religioſæ vitæ ſectatoribus ſubiecit, anno Domini 1105. Indict. XVI. fer. 3. Paſchatis, regnante Henrico IV. & filio eius Henrico V. anno ab inauguratione Burcardi Epiſcopi Baſileenſis 33. & Hugonis 57. De eodem in Catalogo monaſteriorum Cluniacenſi ſubiectorum hæc habentur, fol. 1742. *Anno Chriſti 1103.*
Prioratus S. Albani Baſileenſis Diœceſis, ubi debent eſſe, Priore computato, duodecim Monachi, & debent ibi celebrari quotidie tres miſſæ, & eleemoſyna fit tantum ſemel in hebdomada propter multitudinem habitantium

Anno Chriſti 1030. *in villa. Prioratus S. Morandi de Altakilcha Baſileenſis Diœceſis, ubi debent eſſe, Priore computato, ſex Monachi, & debent celebrari quotidie duæ miſſæ, & debet fieri eleemoſyna ter in hebdomade.*

Burcardo Baſileenſi Epiſcopo erat frater Germanus, Cunonis nomine, qui Lauſannenſis & ipſe condecoratus Infulis in Vrbecula Erlach ſuæ Diœceſis ad Bielenſem lacum ſita, & Bernenſi nunc adiecta dictioni, Patribus Benedictinis inchoatum Monaſterium morte abreptus in ipſo rerum bene gerendarum curſu, fratri ſuo Burcardo Baſileenſi Epiſcopo perficiendum reliquit, authore Stumpfio l. 8. c.19.

Circa annum deinde 1177. floruit ex eadem inclyta Haſenburgica familia, Hugo Baſileenſium Præſul, de quo, ſuo loco plura. Quartus denique

nique ab Haſenburg Henricus, magna cum laude, teſte Guillimanno ab anno 1180. ad 1190. Argentinenſem Eccleſiam adminiſtravit; ita quidem, ut annis vix pluribus centum, quatuor eius ſtemmatis ſacri Antiſtites, & Romani Imperij Principes, gentem ſuam longe celeberrimam reddiderint; quamvis illorum natalis domûs vix ullam præter antiqua rudera memoriam videat poſteritas.

Anno porrò 1096. mira inter ſe concordiâ, compoſitis rebus, innumerabilem conflârunt exercitum Chriſtiani Principes, ut divinis auſpiciis à Saracenorum Lue Palæſtinam impiorum oppreſſam tyrannide expurgarent. Lecti duces ſacræ expeditionis fortiſſimi, Godefridus Bullionius Lotharingiæ Dux, cum Euſtachio & Balduino fratribus. Hugo Philippi Regis Franciæ frater,

Anno Chriſti 1096.

Anno Chriſti 1096. frater, Rupertus Dux Northmanniæ Regis Angliæ frater, Rupertus Comes Flandriæ. Expeditio pro Deo & religione ſuſcepta optatum Chriſtianis peperit exitum, reductâ in poteſtatem Victorum Hieroſolymâ, cui Regem Bullionium, omnibus fortitudine Chriſtianâ ſtupendum Ducem, unanimes præfecerunt. Quod ſane regnum annis 90. in poteſtate Chriſtianorum manſit, brevi adeo temporis ſpatio, minimè, credo, circumſcribendum, ſi Deo Duce ſanctè parta, eadem virtute tueri noviſſent. Iam tum nempe armorum felicitatem avertebant diverſa factionum ſtudia inaniſſima propriorum commodorũ ratio, malum ætate noſtra uſque adeo inveteratum, ut Chriſtianos inter Principes proh dolor! videatur irremediabile.

RV-

RVDOLPHVS II.

Anno Chriſti 1107.

Comes ab Honberg.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXX.

PRæpoſituta Cathedralis, proximus ad Inſulam Baſileenſem gradus fuit Rudolpho: incertum tamen, quo anno; niſi cum MS. Codice, coniecturâ dicamus, eveniſſe anno 1107. Henrico IV. Imperatore, qui Rudolpho perquam familiariter utebatur. Interfuit Rudolphus Comitiis Argentinæ habitis, poſt Roma reducem & Auguſtalibus honoratum inſignibus Henricum, anno ipſius regni 6. Imperij primo, Chriſti IIII. quemadmodum refert Guilliman. lib. 5. Habſpurg. c. 2. & in Cunone Argentin. 49. Auxit ſua præſentia Rudolphus Procerum Conventum VVormati-

Anno Chriſti 1107. enſem anno 1113. Cal. April. anno 1111. 7. Non. Oct. & anno 1114. 6. Idus Martij adſtipulatus eſt ſolennibus tabulis legitimè confectis, tum Moguntiæ, tum Baſileæ, in favorem Einudlenſium, ſive Patrum Benedictinorum Eremum B. Virg. in Helvetia incolentium. Anno Chriſti eodem 1114. regni Henrici 8. Imperij 3. ſubſcripſit Rudolphus diplomati, quod Imperator Baſileæ dedit VVernero Comiti Hapſpurgico, in fidem tutelámque Imperij recipiens Monaſterium Muri ab ipſis Habſpurgicis exſtructum. Approbavit idem quoque Rudolphus litteras Comitis Pfirtenſis, quibus admitterentur Cluniacenſes & ceterorum nomine Pontius, Abbas in poſſeſſionem Alkirchenſis Eccleſiæ anno 1115. 19. Calend. Ian. quo etiam anno Rudolphus cum Imperatore Henrico Baſileæ egit de Advocatia Faba-

Fabarienſis Abbatiæ, vulgò Pfeffers, in Curienſi Diœceſi ſitæ: ſed Romam provocante Geroldo Abbate, juſſu Paſchalis Pontificis prætenſum illud jus abdicare compulſus eſt. Coràm denique fuit Rudolphus Baſileenſis Epiſcopus, cùm Vvalterus à Vvaldeck & Burcardus ab Eiſtett Barones, anno 1114. Abbatiæ S. Blaſij vallem Totnovienſem & Schônovienſem à Veltberga Pfaffenvvegium, uſque unà cum ſubditis jus omne conſignârunt. *Anno Chriſti 1107.*

Circa tempora Rudolphi Baſileenſis Epiſcopi, Fridericus Comes Pfirtenſis, è regio Francorum ſanguine, ſacram ædem, veterem Eccleſiam (Altkilcham etiamnum vocant) B. Chriſtophori Martyris dicatam memoriæ, à ſuis maioribus ædificatam olim, ſed diuturnitate temporis ruinoſam reſtaurare primùm aggreſſus, prædiis deinde locupletavit

Anno Chriſti 1107. ampliſſimis. Verùm ut eo in loco divinorum accuratior haberetur ratio, anno 1115. vel potiùs anno 1105. (Hugo enim I. Abbas obiit anno 1109.) Cluniacum expedire Nuntium placuit, ut ab Hugone religioſos viros expeteret aliquot, qui Monaſticæ vitæ inſtitutum, ſimúlq; Chriſtianas virtutes accolis proſeminarent. Fecit Hugo ſatis piæ Comitis voluntati, dans eundi copiam aliquot ordinis ſuis ſodalibus, curâ ipſorum demandatâ Conſtantio, viro apprimè religioſo. Pergunt alacres, velut ad novum alvearium verno tempore lætum apum Examen ſecedit. Excipiuntur à Friderico perhumaniter, & novam ſancta cum vita ducere Coloniam jubentur. Vnum cœptis, boniſque conatibus obſiſtebat plurimùm; Germanicæ imperitia linguæ, in Gallico ſolo enutritis, nimius ſanè obex aliorum

orum promovendæ ſaluti. Quare, difficultatem in dies maiorem expendens Conſtantius, acceptis ſecum Friderici Comitis litteris Cluniacum redit, Abbati rem, ut erat, candidè, loci hominúmque conditionem exponit. His auditis patuit neceſſitas mittendi ad ſperatos fructus colligendos Germanicæ gnarum. Erat per id tempus in Arvernia B. Morandus, natione Germanus, & nobilibus natus parentibus. Ille igitur ſuperiorum imperio, quod Gallicè Germanicéque calleret, ad patrium aerem remittitur, & maximè omnium gerendis rebus idoneus, aſpirante Deo deſtinatur. Vbi adfuit primùm, & Comiti, & aliis omnibus mirum quantum acceptus fuerit. Ita enim divino Zelo incenſis adhortationibus & religioſo vitæ exemplo conſpicuus in omnium oculis & animo erat, ut com- *Anno Chriſti 1107.*

Anno Christi 1107. plures ad ſanctioris vitæ amorem ſtudiúmque pelliceret, Cœlo etiam virtutem ipſius luculentis miraculis aperiente. Incendium caſu in monaſterio exortum efformato ſalutiferæ crucis ſigno mox reſtinxit. Laborabat torpidâ paralyſi membrorum Fridericus Comes: Morandi ſanctitas membris uſum & ſanitatem reſtituit. Pauca bene precatus, quartanam febrim ab Vdalrico Carolſpachio exeſſe juſſit. Duas fœminas ab inquilino Cacodæmone malè divexatas, adhibitis ſacris Eccleſiæ carminibus, & re divinâ peractâ, omni moleſtiâ liberavit. Pluribus aliis ægris ac Energumenis etiam poſt mortem S. viri profuit ipſius ſepulchrum adiiſſe, eiúſque patrocinium imploràſſe. Et hæc omnia in vita Sancti prolixiùs exponuntur, quem in Sanctorum numerum rogatu potiſſimùm Epiſcopi Baſilecnſis

enſis, à PP. Benedictinis ad hoc jure merito impulſi, deinde retulit Chriſti Vicarius (nomen Pontificis & Epiſcopi non exprimitur) ubi legitimis comprobata teſtimoniis anteactæ vitæ ſanctitas, & ſecuta poſt mortem miracula, feſtus eius dies duplici ritu celebratur 3. Iunij in Baſileenſi Eccleſia, prout habetur in eius Proprio. *Anno Chriſti 1107.*

In Cluniacenſi porrò Bibliotheca ex M. SS. Codd. habentur de S. Morando nonnulla, quæ hìc attexere non pigeat iiſdem verbis. *S. Hugo primus hoc nomine, Abbatum verò ordine VI. patria Heduenſis, Cluniaco Præfectus anno 1049. obiit anno 1109. ordinationis ſuæ 61. ætatis 86. Cal. Maij.* Eius diſcipulus *fuit B. Morandus, cuius ſolemnitas celebratur apud eos (Cluniacenſes)*

Anno Chriſt. 1107. *tertia die Iunij. & vita eiuſdem re fertur in actis S. Hugonis I.*

Additur in eadem Bibliotheca privilegium Paſchalis I I. Pontif. factum Monaſterio S. Albani Altkirchij & aliis quibuſdam Prioratibus *Paſchalis* Epiſcopus *Servus ſervorum Dei. Reverendiſsimo fratri Hugoni Abbati Cluniacenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Religioni veſtræ, per omnipotentis Dei gratiam, ſedis Apoſtolicæ benignitas gratulatur, quoniam pleriſq; in locis, Deo largiente per veſtræ ſollicitudinis ſtudium, ubi nulla fuerat inſtituta, ubi defecerat per Galliarum partes, eſt reſtituta religio.* E*apropter, ſicut ab ipſis Cœnobij veſtri primordijs, ita largiente Domino, uſq; in finem, vos tapquam chariſsimos filios Apoſtolicæ*

ſedis

ſedis tuetur auctoritas. Omnia igitur ad veſtrum Cœnobium pertinentia, ſicut à prædeceſſoribus noſtris munita ſunt, ita & nos auctoritate ſedis Apoſtolicæ munimus. In quibus, ea proprys vocabulis exprimenda duximus, quæ temporibus noſtris per Dei gratiam acquiſita, & veſtri regiminis diſpoſitioni ſubiecta noſcuntur. Monaſterium videlicet S. Albani, à Burcardo Epiſcopo *datum in ſuburbio Baſileæ Vrbis. In eodem* Epiſco*patu Altkirchium à Friderico Comite per ſupradicti Epiſcopi ſollicitudinem in manus veſtras abdicatum atq; conceſſum.* Et poſt multas Eccleſias alibi, ipſis donatas, ſub graviſſimo anathemate vetat, ne quis ea loca ipſorum ſubiecta poteſtati ſubtrahat, tandémque concludit : *Ego* Anno Christi 1107.

Anno Christi 1107. *Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus &c. Datum apud villam S. Hippolyti VI. Idus Februar. Indict. XV. Incarnat. Dominicæ 1106. Pontificatûs anno 8.*

Exactis pòſt aliquot ſeculis, hoc eſt, anno 1622. idem S. Morandi Prioratus unà cum annexis Eccleſiis & juribus, Patribus Societatis IESV ceſſit, ut Collegio Friburgenſi in Briſgoia, ad Academiam illam vocatis, de victu inde proſpiceretur, annitente ſereniſſimo Leopoldo Archiduce Auſtriæ, atque Bullâ propriâ tranſlationem hanc confirmante Vrbano VIII. anno 1625. Quæ res, ut alibi in ſimili cauſa ſæpius accidit, magni omnino diſſidij & altercationum etiam religioſos inter viros ſeminarium fuit, conflatâ in Patres Societatis invidia; quòd multi tranſlationem hanc Principium

um non modò ſupremâ Pontificis auctoritate factam improbarent, hancce mutationem, eiúſque cauſas & rationum monumenta, aut non penetrantes ex æquo, aut animô ſolum ad diuturnam annorum poſſeſſionem converſô, penitus averſati: cùm tamen, ſi occulos & ipſi ad priſca tempora reflectant, quemadmodum hactenus vidimus non ſemel, ſimiles quoque, viciſſitudines experti fuerint, quas etiam ſubinde ſibi adverſas tolerare ſapienter noviſſent eorum Maiores. *Anno Christi 1107.*

LVDOVICVS I.

Comes à Pfirt.

Epiſcoporum Baſileenſium. *XXXI.*

EX Illuſtri familia Comitum Pfirtenſium natus Ludovicus, ſed ad ſplendorem natalium nihil admodum

Anno Chriſti 1107. modum geſſit memorabile, ideoq; in Epiſcopatu Baſileenſi obſcurus manſit poſteris. Aliam certè de ipſo mentionem facit nullam Lazius lib.8. de tranſmig. gentium, ubi Comitum Pfirtenſium genealogiam exponit. Stumpfio ſatis fuit accenſere Baſileenſibus Epiſcopis Ludovicum, Romanum Imperium Henrico V. & Romanam Eccleſiam moderante Paſchali ac poſt illum Gelaſio II. Iuverit ſaltem breviter perſtringere, qui quantique fuerint eâ tempeſtate Comites Pfirtenſes. Eorum ditio complectebatur totam Sundgoiam & celebrioris jam tum nominis loca, Tannas, Delam, Rottenfelſium Seinhemium, Mazopolim, Veldbachium, Befortium & Lucellam: addo Toparchiam, Lanſerenij tractum, & latè patentem agrum Baſileæ vicinum. Quæ omnia, ut plurimum, antehac Auſtriacis pare-

parebant, jure matrimonij cum Io-anna Vlrici Comitis ultimi filia, maximè verò titulo feudi ab Epiſcopo Baſileenſi liberaliter conceſſi. Peramplus igitur ille Comitatus Pfirtenſis dividebatur hactenus in 9. toparchias, Ferretum, Landsherhenium, Altkirchium, Diathamnum, ſive Thannas, Mazopolim, Delam Belfortium, Sennhemium, & Rottenfelſium. Altkirchium mœnibus cinxit, ad oppidi elegantiam Albertus Alberti Cæſaris filius, ductâ, ut jam antè diximus, Ioanna Vdalrici Pfirtenſis Comitis filia, anno 1324. vel, ut alij malunt, anno 1330. Fridericus Comes Pfirtenſis & Stephania Vxor fundârunt Monialibus Ordinis Cluniacenſis monaſterium Veldbachij, anno 1144. De liberali pietate cum Friderico certavit Ludovicus Comes, dum ſuo, filij, filiæque Helvvidis nomine, anno 1180. *Anno Christi 1107.*

Mona-

Anno Chriſti 1107. Monaſterio Oelenbergenſi ſeptem manſos, addixit, ſive, ut opinor, ſpatioſæ dimenſionis agros. Hugo denique Ferretæ Comes, quemadmodum aſſerit Guilliman. in Helzone 40. Argentinenſium Epiſcopo, primus author fuit monaſterij Altorffenſis in Argentorat. Diœceſi, quod & Eberhardus eius filius in Abbatiam erexit.

FRIDERICVS I.

1118.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXII.

FRidericum Baſileenſem Epiſcopum Centuriatores hæretici ex Saxoniæ Chronico cent. 12. tradunt fatis conceſſiſſe anno 1118. alij Scriptores de hoc Epiſcopo plura non referunt.

BERCH.

BERCHTOLDVS

SEV

BERTOLFVS I.

Comes Neoburgenſis.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXIII.

Anno Chriſti 1123.

ADvocatia, ſive jus Patroni in monaſterium S. Blaſij penès Epiſcopos Baſileenſes annis amplius, centum fuerat, donec tandem, cùm Berchtoldi Epiſcopi nomine conſtitutus illic Præfectus Adelgotius de VVerr, (ut eum vocat Vrſtiſius) omnia pro lubitu contra jus, & fas, ipſáque clara Monaſterij privilegia ageret, Ruſtenus Abbas anno 1124. apud Henricum V. de tantæ rei indignitate, gravi oratione, ipſomet præſente Berchtoldo, conqueſtus, id evicit, ut, circa Natalitias ferias, hac ſuper re collatis capitibus, Imperij

Anno Chriſti 1125. perij optimates Argentorati, ubi rationes utrimque audiviſſent, decernerent, liberum fore Abbati cum ſuis, deligere, quem vellent, qui, ſalvis Monaſterij privilegiis, jus advocatiæ ſeu Protectoris adminiſtraret. Ad quod officij genus electus ſubinde Conradus à Zeringen Berchtoldi filius: ipſo Epiſcopo Berchtoldo ſubſcribente diplomati Henrici V. Argentinæ, anno 1125. Videri poteſt Guillimannus in Brunone 46. Epiſcopo Argentinenſi. Stumpfius aliter de Berchtoldi ætate ſentit, aitque, illum dignitate Epiſcopi fulſiſſe Henrico V. & Lothario II. Impp. Calixto II. & Henrico II. Pont.

Huc ſpectare videtur origo celeberrimorum Monaſteriorum Beinvvilæ & Lucellæ, quam referre more noſtro breviter, placet. Annales Eremi teſtantur anno 1124. Comites à Thierſtein & Sogern in Iuraſſo monte

monte condidiſſe Monaſterium S. Vincentij, Beinvvylam, vulgò di- Anno Christi 1125.
ctum, ordinis S. Benedicti. In literis, quibus anno 1152. Fridericus Barbaroſſa Vlmæ donationem confirmavit, nominãtur fundatores Nortgerus, Oudelardus, Burckardus, & Vlricus, anno 1240. Comitibus à Thierſtein Advocatia, ſive Patrocinium huius Monaſterij, ab Imperio in feudum permiſſum eſt. Anno 1125. ætate S. Bernardi, novi Mundo ſyderis, cum ipſis propè Ciſtercienſis ordinis initiis, cœptum eſt Lucellenſe Monaſterium, facultates ſuas ad ſanctum opus conferentibus Hugone à Camill, Amedeo à novo Caſtro, Richardo à monte Falconis, viris in ſuperiore Burgundia ſanguine illuſtribus: petitâ priùs, ut par erat, & impetratâ facultate, ac annutu ab Archiepiſcopo Biſuntino Anſerico, & Bertolpho Baſileenſi Epiſcopo,

Anno Chriſti 1125. eo loco templum & Cœnobium extruendi. Confirmationis litteræ traditæ ſunt Chriſtiano Abbati ſecundo, anno 1136. eo pacto & conditione, ut Eccleſiæ Baſileenſi quotannis in accepti beneficij teſtimonium, ceræ pondo offerret monaſterium. Quam rem & ipſe Conradus II. Imperator probavit Argentorati, anno 1139. Eugenius item III. Papa Divione anno 1147. Patronos monaſterij poſtea fuiſſe Comites Pfirtenſes tradit Vrſtiſ. lib. 1. c. 4.

Anno 1125. Henricus IV. Imperator montem Angelorum, ſeu Engelbergam, monaſterium apud Silvanos, in Imperij tutelam ſuſcepit Argentinæ. V. Cal. Ian. adhibitis in teſtes Anſerico Biſuntino Archiepiſcopo, Geroldo Lauſannenſi, & Berchtoldo Baſileenſi Epiſcopis.

ADAL-

ADALBERO III.

Anno Chriſti 1130.

Comes à Froburg.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXIV.

GEntilitia horum Comitum domus ſtetit infra Petram ſciſſam, vulgò Havvenſtein, non procul Olten oppido in Ergovia. Videre eſt adhuc aliqua ipſius rudera in Præfectura Gôsken ditionis Solodorenſium, nec vetuſtas loco nomen Vroburg abolevit. Adalbero itaque eo loco Comitum illuſtri natus Berchtoldo ſuffectus eſt, anno 1130. quo ineunte Lotharius II. Imperator Conventum Principum Baſileæ indixit, & mox Cæſaris obſecuti mandatis adfuerunt Anſericus Archiepiſcopus Biſuntinus, Bruno Argentinenſis, Vdalricus Conſtantienſis, Otho Halberſtattenſis, Epiſcopi.

Anno Chriſti 1136. Rudolphus Abbas Augiæ-divitis, Bertolfus Murbacenſis, Conradus Dux Zeringiæ, Hermannus Marchio Badenſis, Sigebertus Comes Alſatiæ, Vdalricus Comes ab Egisheim. Plura Guillim. in Brunone 46. Epiſcopo Argentinenſi.

Anno 1136. Epiſcopus Adalbero precibus rogatus ab Eppone presbytero, Parochiam S. Leonardi Baſileæ, aſſentientibus Canonicis, mutavit in Monaſterium Regularium Ordinis S. Auguſtini, additis quibuſdam prædiis. Quam Innocentius II. Pont. commutationem approbavit Romæ in Laterano, datis litteris anno 1139. quo ipſo ſupremum egit diem Adalbero, vel ſequenti 1140. Vrſtiſio teſte.

ORT-

ORTLIEBVS
Comes à Froburg.
Baſileenſis Epiſcopus.
XXXV.

Anno Chriſti 1140.

EPiſcopi dignitatem Anno 1140. ubi conſecutus Ortliebus, poſtquam Præpoſiti perfunctus officio in Cathedrali Eccleſia fuerat, morum, qua pollebat, flexanimâ ſuavitate, ita Cæſarum gratiam & favorem ſibi conciliaverat, ut magnum inde res Baſileenſis Eccleſiæ acciperent incrementum. Sed illa tandem lis de Advocatia, ſeu Patrocinio S. Blaſij, ut malè coalita vulnera, toties recrudeſcens, anno tandem 1145. ita compoſita eſt, ut Abbatia Epiſcopo quatuor villas ſponte cederet, Sirenz, Lauffen, Othingen & Filnacker. Epiſcopus verò omne Advocationis jus ex integro abdicaret.

Anno Chriſti 1145. Anno 1145. Comitiis Spiræ magno omnium ordinum concurſu habitis, cum Conrado ſecundo Imperatore, aliiſque Principibus cruce & ipſe ſignatus contra Saracenos, nomen ſacræ militiæ dedit Ortliebus, claſſicum perſonante tubâ illâ Evangelicâ, ſancto Bernardo, ad expeditionem alteram, qui ab Eugenio Pontifice in Germaniam miſſus, fortiſſimos viros, magno numero impulit, ut ſacri huius belli ſocios ſe præberent. Et Baſileæ quidē, poſtquā Eccleſiaſticus Orator potenti oratione auditorum animos inflammaverat, mutæ mulieri uſum linguæ, greſſum claudo, cœco viſum, reſtituit. Ineunte vere, anni 1146. Imperator cum ſeptuaginta equitum millibus, peditúmque numero ingenti per Auſtriam & Hungariam exercitum formidabilem in Thraciam, Conſtantinopolim verſus, incolumem deduxit.

deduxit. Inter alios aderat quoque *Anno Chriſti*
Baſileenſis Epiſcopus Ortliebus & conſilio, & forti militum manu, nobiliúmque clientum, expeditionem promovebat ſtrenuè. Imperatorem maximis & ipſe copiis ſequebatur Franciæ Rex Ludovicus VII. Summa ubique expectatio, tanto apparatu & belli mole obterendam utique brevi, hoſtium ferocem barbariem. At humanæ vires & conſilia quàm ſæpe inani ſpe diſtendunt animos! belli ſpecies viſa eſt, non bellum, illa armorum potentia; adeo parvus fuit eventus tanti moliminis.
Conradus Imperator anno 1147. ob- 1146.
ſeſſâ per totam æſtatem, ſed irrito conatu, Damaſco, imminuto maximè ſuorũ numero, quos penuria rerum, & contracta lues in peregrino adeo ſolo ſuſtulerat, vaſa colligit, Germaniam inglorius reviſurus. Non omiſit tamen priùs Hieroſolymã, ſacráq;

Anno Chriſti 1107. *Paſchalis Catholicæ* Eccleſiæ *Epiſcopus &c. Datum apud villam S. Hippolyti VI. Idus Februar. Indict. XV. Incarnat. Dominicæ 1106. Pontificatûs anno 8.*

Exactis pòſt aliquot ſeculis, hoc eſt, anno 1622. idem S. Morandi Prioratus unà cum annexis Eccleſiis & juribus, Patribus Societatis IESV ceſſit, ut Collegio Friburgenſi in Briſgoia, ad Academiam illam vocatis, de victu inde proſpiceretur, annitente ſereniſſimo Leopoldo Archiduce Auſtriæ, atque Bullâ propriâ tranſlationem hanc confirmante Vrbano VIII. anno 1625. Quæ res, ut alibi in ſimili cauſa ſæpius accidit, magni omnino diſſidij & altercationum etiam religioſos inter viros ſeminarium fuit, conflatâ in Patres Societatis invidia; quòd multi tranſlationem hanc Principium

um non modò ſupremâ Pontificis auctoritate factam improbarent, hancce mutationem, eiúſque cauſas & rationum monumenta, aut non penetrantes ex æquo, aut animô ſolum ad diuturnam annorum poſſeſſionem converſò, penitus averſati: cùm tamen, ſi occulos & ipſi ad priſca tempora reflectant, quemadmodum hactenus vidimus non ſemel, ſimiles quoque, viciſſitudines experti fuerint, quas etiam ſubinde ſibi adverſas tolerare ſapienter noviſſent eorum Maiores. *Anno Christi 1107.*

LVDOVICVS I.

Comes à Pfirt.

Epiſcoporum Baſileenſium. *XXXI.*

EX Illuſtri familia Comitum Pfirtenſium natus Ludovicus, ſed ad ſplendorem natalium nihil admodum

Anno Chriſti 1107. modum geſſit memorabile, ideoq; in Epiſcopatu Baſileenſi obſcurus manſit poſteris. Aliam certè de ipſo mentionem facit nullam Lazius lib.8. de tranſmig. gentium, ubi Comitum Pfirtenſium genealogiam exponit. Stumpſio ſatis fuit accenſere Baſileenſibus Epiſcopis Ludovicum, Romanum Imperium Henrico V. & Romanam Eccleſiam moderante Paſchali ac poſt illum Gelaſio II. Iuverit ſaltem breviter perſtringere, qui quantique fuerint eâ tempeſtate Comites Pfirtenſes. Eorum ditio complectebatur totam Sundgoiam & celebrioris jam tum nominis loca, Tannas, Delam, Rottenfelſium Seinhemium, Mazopolim, Veldbachium, Befortium & Lucellam: addo Toparchiam, Lanſerenij tractum, & latè patentem agrum Baſileæ vicinum. Quæ omnia, ut plurimum, antehac Auſtriacis

pare-

parebant, jure matrimonij cum Ioanna Vlrici Comitis ultimi filia, maximè verò titulo feudi ab Epiſcopo Baſileenſi liberaliter conceſſi. Peramplus igitur ille Comitatus Pfirtenſis dividebatur hactenus in 9. toparchias, Ferretum, Landsherhenium, Altkirchium, Diathamnum, ſive Thannas, Mazopolim, Delam Belfortium, Sennhemium, & Rottenfelſium. Altkirchium mœnibus cinxit, ad oppidi elegantiam Albertus Alberti Cæſaris filius, ductâ, ut jam antè diximus, Ioanna Vdalrici Pfirtenſis Comitis filia, anno 1324. vel, ut alij malunt, anno 1330. Fridericus Comes Pfirtenſis & Stephania Vxor fundârunt Monialibus Ordinis Cluniacenſis monaſterium Veldbachij, anno 1144. De liberali pietate cum Friderico certavit Ludovicus Comes, dum ſuo, filij, filiæque Helvvidis nomine, anno 1180. *Anno Christi 1107.*

Mona-

Anno Chriſti 1107. Monaſterio Oelenbergenſi ſeptem manſos, addixit, ſive, ut opinor, ſpatioſæ dimenſionis agros. Hugo denique Ferretæ Comes, quemadmodum aſſerit Guilliman. in Helzone 40. Argentinenſium Epiſcopo, primus author fuit monaſterij Altorffenſis in Argentorat. Diœceſi, quod & Eberhardus eius filius in Abbatiam erexit.

FRIDERICVS I.

1118. *Baſileenſis Epiſcopus.*

XXXII.

FRidericum Baſileenſem Epiſcopum Centuriatores hæretici ex Saxoniæ Chronico cent. 12. tradunt fatis conceſſiſſe anno 1118. alij Scriptores de hoc Epiſcopo plura non referunt.

BERCHTOLDVS

SEV

BERTOLFVS I.

Comes Neoburgenſis.

Baſileenſis Epiſcopus. XXXIII.

Anno Chriſti 1125.

ADvocatia, ſive jus Patroni in monaſterium S.Blaſij penès Epiſcopos Baſileenſes annis amplius, centum fuerat, donec tandem, cùm Berchtoldi Epiſcopi nomine conſtitutus illic Præfectus Adelgotius de VVerr, (ut eum vocat Vrſtiſius) omnia pro lubitu contra jus, & fas, ipſáque clara Monaſterij privilegia ageret, Ruſtenus Abbas anno 1124. apud Henricum V. de tantæ rei indignitate, gravi oratione, ipſomet præſente Berchtoldo, conqueſtus, id evicit, ut, circa Natalitias ferias, hac ſuper re collatis capitibus, Imperij

Chriſti *1125.* perij optimates Argentorati, ubi rationes utrimque audiviſſent, decernerent, liberum fore Abbati cum ſuis, deligere, quem vellent, qui, ſalvis Monaſterij privilegiis, jus advocatiæ ſeu Protectoris adminiſtraret. Ad quod officij genus electus ſubinde Conradus à Zeringen Berchtoldi filius: ipſo Epiſcopo Berchtoldo ſubſcribente diplomati Henrici V. Argentinæ, anno 1125. Videri poteſt Guillimannus in Brunone 46. Epiſcopo Argentinenſi. Stumpfius aliter de Berchtoldi ætate ſentit, aitque, illum dignitate Epiſcopi fulſiſſe Henrico V. & Lothario II. Impp. Calixto II. & Henrico II. Pont.

Huc ſpectare videtur origo celeberrimorum Monaſteriorum Beinvvilæ & Lucellæ, quam referre more noſtro breviter, placet. Annales Eeremi teſtantur anno 1124. Comites à Thierſtein & Sogern in Iuraſſo monte

monte condidiſſe Monaſterium S. Anno
Vincentij, Beinvvylam, vulgò di- Circa
ctum, ordinis S. Benedicti. In lite- 1125.
ris, quibus anno 1152. Fridericus Barbaroſſa Vlmæ donationem confirmavit, nominãtur fundatores Nortgerus, Oudelardus, Burckardus, & Vlricus, anno 1240. Comitibus à Thierſtein Advocatia, ſive Patrocinium huius Monaſterij, ab Imperio in feudum permiſſum eſt. Anno 1125. ætate S. Bernardi, novi Mundo ſyderis, cum ipſis propè Ciſtercienſis ordinis initiis, cœptum eſt Lucellenſe Monaſterium, facultates ſuas ad ſanctum opus conferentibus Hugone à Camill, Amedeo à novo Caſtro, Richardo à monte Falconis, viris in ſuperiore Burgundia ſanguine illuſtribus: petitâ priùs, ut par erat, & impetratâ facultate, ac annutu ab Archiepiſcopo Biſuntino Anſerico, & Bertolpho Baſileenſi Epiſcopo,

eo loco templum & Cœnobium extruendi. Confirmationis litteræ traditæ ſunt Chriſtiano Abbati ſecundo, anno 1136. eo pacto & conditione, ut Eccleſiæ Baſileenſi quotannis in accepti beneficij teſtimonium, ceræ pondo offerret monaſterium. Quam rem & ipſe Conradus II. Imperator probavit Argentorati, anno 1139. Eugenius item III. Papa Divione anno 1147. Patronos monaſterij poſtea fuiſſe Comites Pfirtenſes tradit Vrſtiſ. lib. 1. c. 4.

Anno Christi 1125.

Anno 1125. Henricus IV. Imperator montem Angelorum, ſeu Engelbergam, monaſterium apud Silvanos, in Imperij tutelam ſuſcepit Argentinæ. V. Cal. Ian. adhibitis in teſtes Anſerico Biſuntino Archiepiſcopo, Geroldo Lauſannenſi, & Berchtoldo Baſileenſi Epiſcopis.

ADAL-

ADALBERO III.

Anno Chriſti 1130.

Comes à Froburg.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXIV.

GEntilitia horum Comitum domus ſtetit infra Petram ſciſſam, vulgò Havvenſtein, non procul Olten oppido in Ergovia. Videre eſt adhuc aliqua ipſius rudera in Præfectura Gôsken ditionis Solodorenſium, nec vetuſtas loco nomen Vroburg abolevit. Adalbero itaque eo loco Comitum illuſtri natus Berchtoldo ſuffectus eſt, anno 1130. quo ineunte Lotharius II. Imperator Conventum Principum Baſileæ indixit, & mox Cæſaris obſecuti mandatis adfuerunt Anſericus Archiepiſcopus Biſuntinus, Bruno Argentinenſis, Vdalricus Conſtantienſis, Otho Halberſtattenſis, Epiſcopi.

Anno Chriſti 1136. Rudolphus Abbas Augiæ-divitis, Bertolfus Murbacenſis, Conradus Dux Zeringiæ, Hermannus Marchio Badenſis, Sigebertus Comes Alſatiæ, Vdalricus Comes ab Egisheim. Plura Guillim. in Brunone 46. Epiſcopo Argentinenſi.

Anno 1136. Epiſcopus Adalbero precibus rogatus ab Eppone presbytero, Parochiam S. Leonardi Baſileæ, aſſentientibus Canonicis, mutavit in Monaſterium Regularium Ordinis S. Auguſtini, additis quibuſdam prædiis. Quam Innocentius II. Pont. commutationem approbavit Romæ in Laterano, datis litteris anno 1139. quo ipſo ſupremum egit diem Adalbero, vel ſequenti 1140. Vrſtiſio teſte.

ORT-

ORTLIEBVS

Anno Chriſti 1140.

Comes à Froburg.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXV.

EPiſcopi dignitatem Anno 1140. ubi conſecutus Ortliebus, poſtquam Præpoſiti perfunctus officio in Cathedrali Eccleſia fuerat, morum, qua pollebat, flexanimâ ſuavitate, ita Cæſarum gratiam & favorem ſibi conciliaverat, ut magnum inde res Baſileenſis Eccleſiæ acciperent incrementum. Sed illa tandem lis de Advocatia, ſeu Patrocinio S. Blaſij, ut malè coalita vulnera, toties recrudeſcens, anno tandem 1145. ita compoſita eſt, ut Abbatia Epiſcopo quatuor villas ſponte cederet, Sirenz, Lauffen, Othingen & Filnacker. Epiſcopus verò omne Advocationis jus ex integro abdicaret.

Anno Chriſti 1145. Anno 1145. Comitiis Spiræ magno omnium ordinum concurſu habitis, cum Conrado ſecundo Imperatore, aliiſque Principibus cruce & ipſe ſignatus contra Saracenos, nomen ſacræ militiæ dedit Ortliebus, claſſicum perſonante tubâ illâ Evangelicâ, ſancto Bernardo, ad expeditionem alteram, qui ab Eugenio Pontifice in Germaniam miſſus, fortiſſimos viros, magno numero impulit, ut ſacri huius belli ſocios ſe præberent. Et Baſileæ quidē, poſtquā Eccleſiaſticus Orator potenti oratione auditorum animos inflammaverat, mutæ mulieri uſum linguæ, greſſum claudo, cœco viſum, reſtituit. Ineunte vere, anni 1146. Imperator cum ſeptuaginta equitum millibus, peditúmque numero ingenti per Auſtriam & Hungariam exercitum formidabilem in Thraciam, Conſtantinopolim verſus, incolumem deduxit.

deduxit. Inter alios aderat quoque *Anno Chriſti*
Baſileenſis Epiſcopus Ortliebus &
conſilio, & forti militum manu, nobiliúmque clientum, expeditionem promovebat ſtrenuè. Imperatorem maximis & ipſe copiis ſequebatur Franciæ Rex Ludovicus VII. Summa ubique expectatio, tanto apparatu & belli mole, obterendam utique brevi, hoſtium ferocem barbariem. At humanæ vires & conſilia quàm ſæpe inani ſpe diſtendunt animos! belli ſpecies viſa eſt, non bellum, illa armorum potentia; adeo parvus fuit eventus tanti moliminis. Conradus Imperator anno 1147. ob- 1146.
ſeſſâ per totam æſtatem, ſed irrito conatu, Damaſco, imminuto maximè ſuorũ numero, quos penuria rerum, & contracta lues in peregrino adeo ſolo ſuſtulerat, vaſa colligit, Germaniam inglorius reviſurus. Non omiſit tamen priùs Hieroſolymã, ſacráq;

Anno Chriſti 1148. loca religioſè inviſere. Inde ad Emanuelem Græcorum Imperatorem affinem ſuum digreſſus, præmiſſóque in Germaniam Friderico ex fratre Nepote, cum Arnoldo Colonienſi Archiepiſcopo, Ortliebo Baſileenſi Epiſcopo, & Henrico Bavariæ Duce, circumvectus ipſe mare Dalmaticum, magnis itineribus tandem Salisburgum tenuit, anno 1148. ubi feſtum Pentecoſtes celebravit. Memor deinde officij & obſequij à Principibus ſibi præſtiti, magnis donatos muneribus, & collaudata eorum voluntate à ſe dimiſit, ut patet ex diplomate anno 1149. dato Ratisbonæ, his verbis. *Quando bene juvante Deo, poſt varios labores longinqui itineris, ſalvi & incolumes in patriam revenimus, decretum eſt mihi, in hac expeditione bene de me meritos, pro regia munificentia donare.*

Inter

Inter hos præcipuo honore dignum *Anni Chriſti* 1148.
cenſuiſſe conſtat perdilectum ſibi
& fidelem Otliebum Baſileenſem
Epiſcopum, quòd ſecum pericula
omnia etiam cum mortis contemptu
adierit: ideoque confirmat iiſdem
litteris illi donationem utriùſque
arcis, novæ & veteris VValdeckenſis,
cum jure & prædiis, quæ nobiles
Domini Trudevvinus & Henricus,
Eccleſiæ Baſileenſi donârant,
conceſſo ad hæc, jure cudendæ monetæ:
extántque adhuc nummi Baſileæ
cuſi, quorum altera facies Regis
Conradi nomine inſcripta eſt.

Obiit anno 1152. Conradus II. 1152.
Imperator: ſucceſſit ei Nepos ex fratre
Fridericus Dux Sueviæ, cui dederunt
Itali Barbaroſſæ cognomentum.
Plura Conradi Imperatoris
Diplomata refert Guillimannus,
quibus ſubſcripſit Baſileenſis Otliebus,
in Gebhardo 48. & Burcardo 49.

Anno Chriſti Epiſcopis Argentinenſibus. Interfuit Spiræ cum S. Bernardo Claravallenſi Abbate Comitiis ad urgendam ſacram expeditionem indictis anno 1146. Conradi Imperatoris 9. Concilio item Laudæ in Italia coacto, quando Fridericus Barbaroſſa Mediolanum evertit anno 1161. alpes ſæpius emenſus cum potentiſſimis exercitibus. Et quidem iter ſuſcepit in Italiam quintum Ænobarbus
1155. ſive Barbaroſſa anno 1155. 1158. 1162. 1166. & 1175. Friderico cùm non minùs familiaris eſſet Ortliebus, quàm patruo ſuo Conrado, Imperatorem & ipſe comitatus eſt, in ſecunda & tertiâ expeditione quâ Mediolanum miſerabili clade dirutum ſaléque conſperſum Cal. Martij, compulſis etiam ad deditionem Genuenſibus. Anno 1159. Fridericus Concilium Ticini ſive Papiæ convocari juſſit præſente Ortliebo, ſchiſmatis cauſâ

Alexan-

Alexandrum Tertium inter & Victorem Pſeudopapam exortâ: in quo Imperator probatâ Victoris electione, & repudiato cum ſuis Alexandro, graviores per Italiam bellorum motus concitavit, Conſulibus Brixiæ, Placentiæ Mediolani, Parmæ Mantuæ, Regij, Mutinæ, Benoniæ legitimum Pontificem contra Imperatorem tueri coniuratis. Qua de re Sigonius, Appendix Radivici l.2.c.70. Guilliman. Habſpurg. lib. 5. cap. 24. *Anno Christi 1155.*

Anno 1156. Fridericus Imperator Herbipoli confirmavit donationes factas Abbatiæ Bellæ-vallis à Raynaldo Comite Burgundiæ, ad fidem faciendam ſyngraphum apponentibus Killino Trevirenſi Epiſcopo, Herico Duce Saxoniæ, Matthæo Duce Lotharingiæ, Stephano Comite Burgundiæ, Theodorico Comite Montis-bellicardi, Humberto Veſontinenſi Archiepiſcopo, Othone Friſingenſi

Anno Chriſti 1155. genſi & Ortliebo Baſileenſi Epiſcopis. Ita Ioan. Iacobus Chiffletius in Humberto.

Poſt inſtitutam Baſileæ de prodigioſo ſanguine celebritatem, quãdo & quo mortis genere vitâ exceſſerit Ortliebus, variis certant opinionibus Scriptores. Annales Eremi & Guilliman lib. 5. Habſpurg. cenſent peſte ſublatum in Italia, dum Friderici Barbaroſſæ ſacrorum communione adhuc privati, ſequeretur contra Alexandrum Tertium Pontif. partes Imperatorias, cum plurimis non modò gregariis militibus, ſed & primariis, tum Eccleſiaſticis, tum ſecularibus Principibus viris. Vrſtiſius lib. 2. cap. 15. in fine, eum ſcribit Epiſcopatu & vita exutum anno 1167. poſtquam 27. annis Eccleſiæ Baſileenſi præfuiſſet, ſepultum, Baſileæ in Eccleſia Cathedrali, ante Aram ſummam.

Cæte-

Cæterùm ſi mortuus eſt Ortliebus anno 1167. ut affirmat Vrſtiſius lib.2. c.15. neſcio, quàm cohærenter ſcripſerit, lib. 1. c. 3. eundem Ortliebum, circa annum 1170. conſecrâſſe Cœnobij Bellalagienſis templum, ipſúmque Monaſterium Abbatiæ titulo & munificis largitionibus donâſſe. Certè, aut prior Vrſtiſij Chronologia vera non eſt, nempe quòd Ortliebus, in Epiſcopum electus anno 1140. viginti ſeptem annis Baſileenſe pedum geſtaverit, uſque ad annum 1167. aut admittere debet Vrſtiſius, ſpatium temporis, quod intercedit inter annum 1167. & 1170. tantum non eſſe, quin dici poſſit mortuus Ortliebus circa 1170. qui ante triennium, hoc eſt, 1167. obierat: adeóque annorum initia & finem aliter combinet, neceſſe eſt. Non dubitem ego, quin Ortliebus conſecraverit, ſaltem primum Bellala- *Anno Chriſti 1155.*

gienſe

Anno Chriſti 1155. gienſe ſacellum anno 1150. extructũ, & honori S. Auguſtini primitus dedicatum: templum verò unà cum Cœnobio, ubi ſtetit in ea, quâ nunc eſt amplitudine, vel ipſe Ortliebus ſacris inauguravit ritibus, vel alij fortè ſucceſſores Epiſcopi, qui etiam Sigenardi Præpoſiti, & ipſius Ortliebi liberalitatem imitati, cœptum ante plures annos Monaſterium novis cumulaverint donationibus. Origo porrò huius Monaſterij ſic ſe habuit.

Anno 1150. jacta ſunt fundamenta Bellalagienſis, ſive Bellagienſis Cœnobij, Præmonſtratenſis ordinis, ab errore fortunato Sigerandi Præpoſiti Grandis-vallis inchoata. Is in venatione aprum inſectatus acriùs, atque à ſociis procul imprudenti cupiditate abreptus per avia & devia, obnoxiáque periculis rupium præruptarum loca, inexplicabili demum

mum ſe labyrintho implicuit. Ten- *Anno Chriſti 1155.*
tato ſæpe variis anfranctibus & ambagibus exitu, fatigatum & in ſolitudine errantem nox tandem occupavit. Exactâ ſub frigido Iove, nocte, ſimili eventu poſtridie, cum vociferanti nulla ſociij reſponſa ferrēt, fractis tam anxia & fruſtraneâ diſcurſatione viribus, in ipſis denuò ferarum luſtris pavidum horrorem incutientibus pernoctarę cogitur. Tertia ubi dies illuxit, cùm nulla adhuc ſpes evadendi hos errores affulgeret, ſuæ jam dubius vitæ, fuſis ad Deum precibus, voto ſe obſtringit: ſe Deo ſacram ædem, æternum accepti beneficij monimentum erecturum, ſi Theſeum infelicem à ſuis expediret erroribus Cœli favor. Nec mora, ad ſocios longiori abſentiâ conſternatos ſalvus & Voti reus revertitur. Nec diu pòſt, promiſſi memor, aſſentientibus Canonicis,

Anno Chriſt 1155. eo, quo aberraverat, loco, templum cœnobiúmque extruxit, cui nomen ob conſpectum pulchrum illic aprum *belle Laye* eſt inditum. Conſuetis Ecclèſię ritibus templum conſecratum. Abbatiæque & nomine & variis inſignitum privilegiis, eo tamen pacto, ut Baſileenſi Cathedrali Eccleſiæ unicum ceræ pondo ſubiectionis teſtimoniũ quotannis penſitaret.

Primus verò huius Cœnobij author vivere deſiit anno 1160. in choro templi à ſe conditi humatus. Subinde Martinus V. Pont. Abbati Henrico Ner Delemontano, eiúſq; Succèſſoribus, in Conſtantienſi Concilio jus pedi, & Infulæ conceſſit, circa annum Chriſti 1416. Vrſtiſ. lib. 1. c. 3. pleróſq; Abbates uſque ad ſua tempora enumerat.

LVDO-

LVDOVICVS II.

Anno Chriſti 1164.

Dictus à Gervvart.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXVI.

PSeudo-Papa Paſchalis, qui per ſummam vim & iniuriam anno 1164. à Friderico in ſedem Alexandri Tertij intruſus erat, Pſeudo-Epiſcopum Baſileenſem creavit Ludovicũ, à Petern, vel à Gervvardt dictum. Proinde & Ludovicus inter Schiſmaticos habitus, atque anathemate percuſſus. Et quia ſuo Ludovico pertinaciùs adhæſerant Baſileenſes, ſacrorum uſu interdicti, infames quoque vixerunt. Anno 1173. Fridericus Imperator poſt obitum Vlrici ultimi Comitis Lenzburgenſis, Canonicorum Beronenſe Collegium multis ſumptibus & magnificè erectum ab eiuſdem familiæ Comi-

Anno Chriſt. 1164. tibus in ſuam fidem protectionémque ſuſcepit, confirmatis Collegio fundis aliiſque bonis. In teſtes adhibiti Ludovicus Baſileenſis Epiſcopus, Matthæus Dux Lotharingiæ, Berchtoldus Dux Zeringiæ, Rudolphus Comes de Pfullendorff. Hactenus Guilliman c. 1. ex ipſo authographo Beronenſis Collegij, idemque poſtea Baſileenſem Epiſcopum accenſet Principibus Catholicis, qui anno 1188. Crucis ſigno ſpectabiles cum Friderico in Orientem profecti Hieroſolymas recuperare moliebantur.

Anno 1172. menſe Februario, Seckingæ Fridericus I. præſente Ludovico Baſileenſi, Othone Palatini Burgundiæ filio, Matthæo Lotharingiæ, Berchtoldo Zeringiæ Ducibus, Comitibus, Baronibus, & magno Nobilium numero ſententiam pronuntiavit contra Rudolphum Rapper-

Rapperſchvvilanum Comitem, li- Anno
tem adiudicans Rudolpho II. Eremi Christi
Abbati, prout ferunt Annales Eremi
pag. 215.

Anno 1176. Friderico Imperatore 1176.
Anagniæ in Italia ab Alexandro III.
in gratiam & Eccleſiæ communionem recepto, pax inter utrumque & Siciliæ regem, adnitentibus arbitris, ad hoc delectis conſtituta fuit, confectis ſuper ea re tabulis prid. Cal. Auguſt. quas refert Sigon. l. 14. n. 50. ſimúlque convenit inter utrumque deligere arbitros decem, penès quos foret ſtatuere de Epiſcopis Argentinenſi & Baſileenſi, quos Guido de Crema obtruſus Pontifex Comica ſolum dignitate extuliſſet. Quam ob rem indicto Romæ Concilio exauctorantur ab Alexandro, anno 1179. Bremenſis Archiepiſcopus, Rudolphus Argentinenſis, & Ludovicus Baſileenſis.

Anno Chriſti 1177.

HVGO
Baro ab Haſenburg.
Baſileenſis Epiſcopus.
XXXVII.

SEpulturæ mandatus Hugo anno 1177. in S. Galli ſacello Eccleſiæ Cathedralis Baſileenſis. Hinc non potuit non electus fuiſſe, & vixiſſe aliquo ſaltem tempore, quo Ludovicus Imperatoriæ factionis Epiſcopus ſupeſtes erat. Ludovicum enim Pars rectè, cum Alexandro ſentiens non niſi perſonatum agnoſcebat Epiſcopum, qui in hac dignitate capeſſenda plus æquo gratiæ & Imperatoris voluntati tribuiſſet, uſque ad annum 1176. quo Alexander uſurpato illum privavit officio. Quin & idem Ludovicus anno 1189. cum Friderico Imperatore aliiſq; Principib' rurſus in Orientem profectus ſcribitur.

HEN-

Anno Chriſti 1189.

HENRICVS I.

Ab Hornburg Baro ex Württembergia.

Baſileenſis Epiſcopus.

XXXIIX.

Expeditionis ſacræ, ductu Friderici Imper. anno 1189. ſuſceptæ ſocium ſe præbuit Henricus, unà cum Biſontino Archiepiſcopo, Herbipolenſi & Paſſavienſi Epiſcopis. Mens erat & animus recuperandi, quæ Saladinus Ægypti Sultanus, Chriſtianis erepta, barbarò tenebat dominatu; Hieroſolymam ſcilicet, & pleràſque Syriæ Vrbes. At Fridericus Imperator immaturo fato ereptus (extinctum ferunt, dum calore æſtivo incenſus in Salephio, aliàs Calephio, exitiali fluvio lavare vellet, teſte Sigon. l.15.n.10. qui Seram vocat Amnem illum) anno

LVTOLDVS I.

SEV

LVITOLFVS,

Baro in Röttelen.

Epiſcopus Baſileenſis. XXXIX.

Chriſti Anno 1191.

COgnita morte Henrici, poſtero mox anno 1191. electus eſt in Epiſcopum Lutoldus, & litem ſtatim habuit cum Vdalrico Eremi Abbate (quemadmodum referunt eius annales) ſuper inſtitutione Parochi in Oberkilch. Anno deinde 1200. au- authore Trithemio in Hirſaugienſi Chron. cruce & ipſe ſignatus decorâ tum & communi Chriſtianis militibus teſſerâ, cum Balduino Flandriæ Comite, aliiſque Germaniæ Principibus, contra Saracenos in Palæſtinā profectus eſt, unde ſalvus ſuam Baſileam reviſerit: ſiquidem an-

Anno Chriſti 1191. no 1207. ſubſbripſit Diplomati Cæſareo Baſileæ dato, & anno 1209. Comitiis Herbipolenſibus interfuit, ubi per legatos Pontificios Hugonem Oſtienſem, & Leonem Sabinenſem Epiſcopos Cardinales diſpenſatum, ut Otho IV. Imperator affinem ſuam Beatricem filiam Philippi, quocum novem annis de Imperio certaverat, in coniugem duceret, Romámque Auguſtalia de manu Pontificis accepturus proficiſceretur. In Vrbem igitur Auguſto menſe profectus, in ſplendidiſſimo Principum & plerorumque Germaniæ Epiſcoporum comitatu (quos inter Lutoldus Baſileenſis) ab Innocentio tertio, Cæſareo diademate redimitus eſt. Ita inauguratus Otho, obnitente multùm & invito Pontifice, aliquot Appuliæ Siciliæque invadit civitates. Quâ re cognitâ, Innocentius Anathemate ferit

rit Othonem, Imperium ei abrogat, & defert Friderico Siciliæ Regi Henrici VI. Imperatoris ex Conſtantia Siciliæ Regina filio, Friderici Barboroſſæ Nepoti. Is tempore utendum ratus, non minus quàm inexpectato Pontificis beneficio, anno 1212. elufis adverſarij ſui Othonis machinationibus, in Germaniam per Rhætorum montes properat: Conſtantiam appellit, Baſileæ excipitur perhonorificè, eique ſe mox addicunt Henricus Argentinenſis, Lutoldus Baſileenſis, & Comes à Vœringen: qui & eum Moguntiam uſque proſecuti ſunt. Fridericus aucto Moguntiæ, eorum, qui ſibi faverent, Principum numero, ad Imperij Coronam Aguiſgranum contendit. Quam rem pluribus tractat Guilliman. in Henrico Epiſcopo 54. Argentin. & fuſè in Conrado 53. ex Trithemio aliiſque refert,

Anno C [illegible] *1191.*

 quid

Anno Chriſt. 1213. quid memorabile acciderit ætate Luitolphi, qui ſatis conceſſit 1213. Is tribus ante obitum annis, civitati Baſileenſi (fortè pro liberaliter factis ſibi impenſis pro itinere Romano cum Cæſare) conceſſit inſtitutionem Tribuum, quibus fas eſſet, ſingulis annis, unum ex qualibet tribu, in numerum Nobilium & Senatorum deputare. Vrſtiſ. lib. 2. c. 6. in fine.

VVALDRICVS.

Baſileenſis Epiſcopus.

X L.

VValdricus à Rôttelen, ita nominat ipſum Vrſtiſius, malis & violentis artibus pedum Baſileenſe attrectavit: qua de cauſa Romæ 1215. in Concil. Lateranenſi ab ipſis Canonicis Baſileenſibus accuſatus, non ſtatim ac juſſus eſt, ab Epiſcopi nomine

mine abſtinuit, quin illud aliquamdiu poſt latam abdicationis ſententiam retinuit, teſte Chiffletio p.2. Veſontionis pag. 252. Nam anno 1214. Amedeus Archiepiſcopus Veſontinus, cum Friderico Trevirenſi Archiepiſcopo, Deſiderio Dyenſi, Conrado Conſtantienſi, Henrico Argentinenſi, VValdrico Baſileenſi Electo &c. ſubſcripſit diplomati Friderici II. Imperatoris pro Eccleſia Viennenſi dato Baſileæ anno 1214. Indict. 3. Regni 2. IX. Calend. Decemb. Ita habetur ex bibliotheca Floriac. Electus fortè ideò dicitur, quòd partem ſuffragiorum in electione aliquam tulerit, nunquam tamen confirmatus, quod plerique Canonici ab eo eligendo penitus diſſenſiſſent. *Anno Chriſti* 1213.

HEN-

Anno Chriſti 1315.

HENRICVS
Comes Thunenſis.
Baſileenſis Epiſcopus.
XLI.

QVà nobilis Helvetiæ fluvius Arola ex altiſſimo Valleſianorum monte Grimzlen, poſt varios anfractus per Sebenthalios in Rhenum tandem defluit, oppidũ Thun in Helvetia viſitur, quod idem fluvius medium interſecat, Bernenſi jam adiunctum ditioni ab anno 1375. tranſlato per emptionem à Kiburgicis Comitibus jure. Suberat olim Comitibus, quibus nomen dabat id oppidum, unde & ſuum traxit Henricus Baſileenſis Epiſcopus, unà cum aliquot fratribus. E quorum numero Annales Eremi Rudolphũ Salisburgenſem Archiepiſcopum referunt, & Conradum XVI. Eremi Abba-

Abbatem. His addit. Vrſtiſius quartum, incertum quo authore, Imperium Orientale Conſtantinopoli obtinuiſſe. *Anno Chriſti* 1215.

Henricus noſter magno Lateranenſi Concilio Romæ celebrato anno 1215. interfuit, duobus cum Patriarchis, ſeptuaginta Archiepiſcopis, octoginta Prælatis & Abbatibus, quibus accedere nihil poterat illuſtrius, ad Patrum illorum famam & Sanctitatis commendationem, quã novus ſacri ordinis author Dominicus, orbi labanti certius è Cœlo datum fulcrum, qui rebus arduis pro Dei gloria & Eccleſiæ incremento per ſe ſuóſque præclariſſimè geſtis, poſt approbatum, cuius ipſe parens, inſtitutum, & confirmatum ab Honorio III. anno 1216. Bononiæ deinde in Cœlum migravit, & tandem à Gregorio Nono in ſanctorum ordinem publicis honoribus aſſertus.

San-

Anno Chriſti 1215. Sanctiſſimi Patriarchæ veſtigiis inſiſtentes filij pari ſtudio animarumque Zelo, & virtutis & ſacræ juxtà doctrinæ maxima paſſim edebant ſpecimina. Quare, Baſileenſis Præſul Henricus anno 1233. in ſuburbio S. Crucis Cœnobium ipſis percommodum à fundamentis erigi curavit, publici inſtrumenti verbis ampliſſimis, at non infra meritum, ſancti illius inſtituti rationes exponens, utiliſſimámque ipſorum in proximos Charitatem prolixè extollens, præclaris inſuper eos privilegiis & indultis eſt proſecutus. Perfectum templum, conſtans altaribus quinque, ſacris inauguravit ritibus, Albertus Magnus, patriâ Lavvinganus, Ordinis eiuſdem per Germaniam Provincialis, electus VVormatiæ, anno 1254. ac ſubinde Ratisbonenſium Epiſcopus, quo denique abdicato Epiſcopatu, ſanctè obiit, litteratorum

rum tunc temporis Coryphæus, ætatis anno 80. apud Patres Dominicanos Coloniæ ſepultus. Et certè, longè latéque per Germaniam diffuſus ſacer ille ordo mirum in modum florebat; atque ut durabilis eſſet ille vigor, media perquam ad id conducibilia adhibebant, Provinciales nempe Germaniæ conventus, Baſileæ quidem ſæpius celebratos, anno nempe 1272. 1302. 1322. 1333. 1346. 1377. 1407. 1452. 1465. 1508. generalem verò totius ordinis conventum anno 1473. Quinam verò poſt obitum S. Dominici vitâ functi anno 1221. ſucceſſerint Generales, recenſet ſigillatim Vrſtiſius ſeriem ipſorum uſq; ad Thomam de Vio Caietanum, Cardinalitiâ donatum purpurâ à Leone X. anno 1517. Per eadem tempora S. Franciſci Seraphicum inſtitutum amplexi & doctrina & auſteritate vitæ conſpicui, Patres ſe-

Anno Christi 1215.

dem

Anno Christi 1215. dem Baſileæ fixerunt, & Ezelini cuiuſdam beneficentiâ, ut tradit Stumpfius, aſſignatus cis Pyrſam locus, ubi nobile templum aſſurgere fecit piorum liberalitas, quod etiam à Cathedralis Eccleſiæ maieſtate haud procul recederet. Ipſum verò Monaſterium ob ſuam, credo, amplitudinem & incolarum numerum Cuſtodiæ (vulgò Guardia) nomen accepit, in quo, qui præeſſet, etiam alias plures curæ ſuæ commiſſas domos adminiſtraret. Huiuſmodi certè Cuſtodias per orbem Chriſtianum jam recenſebat ætate ſua Bartholomæus de Piſis anno 1380. mille & quingentas. Provincia Germaniæ ſolum quinque numerabat Cuſtodias, Rhenanam, Argentoratenſem, Baſileenſem, Bodamicam, Suevicam, & Bavaricam. Baſileenſi ſuberant Monaſteria Thannenſe, Friburgenſe in Briſgoia, Mülhuſianum, Solodo-

Solodorenſe, Bernenſe, Friburgenſe Nuithonum, & Burgdorffenſe. Anno Christi 1215.
Argentoratenſi parebat Rubeacenſe, Briſacenſe, Sarbrugenſe, Colmariénſe, Offenburgenſe, Hagenoenſe, VVeiſſenburgenſe. Bodamica complectebatur Conſtantienſe, Schaffuſianum, Lindavienſe, Tigurinum, Vberlinganum, Villinganum, Campiregienſe, Lucernenſe &c.

Interim templum S. Petri, Baſileæ, ædes Parochialis hactenus, in eam opum copiam paulatim excreverat, ut ex ſententia Henrici Epiſcopi, ſacerdotum numerus peræquè augendus eſſet, quibus honeſtiſſimè ſuſtentandis ad divini cultus ornamentum reliquum, ſuperflui reditus abundè ſufficerent. Quam ob rem 15. Auguſti, anno 1233. in Collegium Canonicorum erecta eſt, approbante Gregorio IX. Viterbij, 17. Apr. 1236. Duobus pòſt annis mi-

Anno Chriſti 1238. gravit è vivis Henricus, anno 1238. in crypta Eccleſiæ Baſileenſis compoſitus, poſtquam annis 23. Baſileenſem rexiſſet Epiſcopatum, eorúmque Principum primus, qui Suffraganeum, ut vocant, ſive Pro-Epiſcopum ſibi aſciviſſet, Ioannem nempe Lintonienſem Epiſcopum. Accidit quippe per id tempus, ut à Saracenis ſubacta Aſia Africáque propemodū vniverſa, ſedibus ſuis deturbarentur Epiſcopi. Ac ne ſucceſſio ſacrorum in illis locis Antiſtitum abrumperetur, Pro-Epiſcopos conſtituit Pontifex, qui ceteris per Europam Epiſcopis, Vicariam in ſacro illo munere, ubi res ferret, præſtarent operam. Hinc ab antiquis Titulares ſeu Portativi appellantur, qui ſolo titulo retento à ſuis Eccleſiis exularent. Romana Curia Nulla-tenentes vocat.

Anno 1232. Fridericus Comes Pirtenſis, ut eam, quæ ſecum & Henrico

Henrico Baſileenſi Epiſcopo intercedebat, controverſiam, pacis amans abſolveret, ei lubens volénſque ceſſit pagos VVolſchvveyler & Dürliſtorff, adſcripto coniugis & ſuorum conſenſu. Quam donationem rurſus anno ſequenti 1233. Vlricus Friderici filius confirmavit his verbis. *Vlricus Comes Pfirtenſis, notum facio, quòd coram dilecto meo conſanguineo Alberto Comite de Habſpurg, Landgravio Alſatiæ, Mater mea Helvvigis Comitiſſa, Berchtoldus frater meus, Baſileenſis* Eccleſiæ *Canonicus, donationi, quam ego & Pater meus, felicis recordationis Fridericus, de in Dûrliſtorff & VVolſchvveiler Curtibus* Eccleſiæ *Baſileenſi factæ conſenſerunt & dictas Curtes tranſmiſerunt, Præterea ego, & dictus frater meus &c.*

Anno Chriſti 1138.

Anno Chriſti 1249.

LVTOLDVS II.

Baſileenſis Epiſcopus. *XLII.*

LVtoldum Trithemius & Stumpfius Dominum à Ròttelen antea dictum volunt. Alij Comitem Neoburgenſem vel Arburgenſem: magna enim & frequens inter has familias affinitas erat. Et licet hìc rurſus varietas opinionum ſe inferat in Epiſçoporum Baſileenſium Catalogo & ſeriei nexu, Lutoldum tamen prioribus Epiſcopis ſupponendum eſſe, certum videtur, ut qui legatur ſubſcripſiſſe publicis Inſtrumentis, anno 1239. & 1241. & ipſe tandem, quod communior ſcriptorum habet opinio, vivere deſiiſſe anno 1249. Ex quo patet, Lutoldum hunc noſtrum, alium eſſe ab illo, qu.m anno 1213. diem ſupremum clau-

clauſiſſe ſuprà memoravimus; cùm ſatis conſtet, illum, de quo jam ſermo, ad annum 1249. obiiſſe, quemadmodum videre eſt in diplomate, quod refert Guillimannus in Henrico 56. Epiſcopo Argentinenſi, ubi legitur Berchtoldus eius ſucceſſor cū aliis Principibus ſubſcripſiſſe communis ſocietatis fœderi, ut vocabant. Obiit itaq; circa annum 1249. atteſtante etiam Vrſtiſio l.2. c.18. aut certè depoſitâ tunc temporis dignitate Epiſcopi, reliquam vitam nullis geſtis memorabilem duxit. Stumpfius inaugurationem Lutoldi refert ad annum 1238. mortem ad 1249. Denique Theophilus Raynaudus Soc. IESV, in S. Brunonis glorioſa propagine, pag. 260. aſſerit, Lutoldum, quē Lufoldum vocat, ex Carthuſiano Vallis-Specioſæ, Epiſcopum Baſileenſem, communem omnib⁹ mortalitatis neceſſitatē ſubiiſſe anno 1249. *Anno Christi 1249.*

Anno Chriſti 1250.

BERCHTOLDVS II.

Comes à Pfirt.

Baſileenſis Epiſcopus.

XLIII.

MOrtem Friderici II. Imperatoris, quem publicis exſecrationibus & Anathematîs à piorum cœtu proſcripſerat Innocentius, ſecutum eſt interregnum ab anno 1250. ad annum uſque 1272. quo Rudolphus Habſpurgici nominis prima gloria, poſt electionem ſuam ad Imperij columen, finem tot turbis impoſuit, Germaniam virtutis amabili ſua maieſtate ſerenans, quam patriam fœdè turbaverat Conradus Friderici filius ambitioſâ cupiditate relictum nuper à Patre ſceptrum repetens; donec tandem, urgente Innocentio, Electores Friderico Henricum Thüringiæ Landgravium, Henrico

rico deinde Guilielmum Hollandiæ Comitem ſubrogant. Sed & hoc, cæſo immaniter, adeo brevis eſt & periculoſa dignitatum uſura, rurſùm ſciſſa eſt factionibus, civilibus bellis & cladibus lacerata Germania. Adverſus hos patriæ tumultus ut ſe nonnihil communiret Berchtoldus Baſileenſis Epiſcopus, cum aliis Epiſcopis & Rheno adſitis urbibus non paucis, fœdus icit. Vrbium, Principúmque nomina, qui ad mutuam defenſionem conſpiraverant, recenſent Annales Steronis ad annum 1247. tom. I. Antiquitatum Henrici Caniſij. Mortuo Sueviæ Duce Friderico anno 1254. in poteſtatem Baſileenſis Epiſcopi rediit Briſacum, jure ſcilicet ad ipſum revoluto, poſtquam feudum illud (quo nomine Briſacum conceſſum erat) cum morte Friderici extinctum eſt. Vnde, verſiculos iſtos, indoctis tempo- *Anno Chriſti 1250.*

Anno Christi 1250. ribus elegantes, in arce Briſacenſi legere eſt.

Annos centenos Domini per bis lege Senos,
His quinquagenos & quatuor adiice plenos,
In quinto denas Julio faciente Calendas,
Pontifici cedit Briſacum, jurat, obedit.
Matri Virgineæ faciendo fidem Baſileæ.
Hic Pfirretorum genus ortu Præſul auorum,
Berchtoldus, tenet hanc, quam Dux ſibi ſtruxerat aulam.

Vnde patet, Briſacum etiã ante hæc tempora ſpectâſſe ad Principes, & Epiſcopos Baſileenſes. Anno 1252. Rudolphus Habſpurgicus nobilium

forti

forti ſtipatus manu, in ſummo no- *Anno Chriſti 1254.*
ctis ſilentio Baſileenſe ſuburbium hoſtiliter invadit, diripit, ac incendit Cœnobium vulgò in Lapidibus dictum. Epiſcopus amaro non potuit non ſentire animo irruptionem hanc. Quare Pontificem ſummum, Innoc. IV. litteris edocet, quid à Rudolpho perpetratum ſit impotenter. Auditis querelis Epiſcopi, Pontifex nihil cunctatus, Bullam Agnaniæ 18. Auguſti, anno 1254. datam expedit, quâ jubebatur Epiſcopus reis denunciare Excommunicationis diras, donec illata damna Prioriſſæ, & Conventui reſarcirent. Sed hoc ſeveriori genere remedij tantum abeſt, ut ſecuta ſit exacerbatorum animorum conciliatio, quin potius graves inimicitiæ & odia Rudolphum inter, & Berchtoldum accreverint. Et Epiſcopus quidem, ut ſecurior, credo, rebus ſuis proſpiceret adverſus

Anno Chriſti 1254. Rudolphi machinationes & inſidias, arcem Briſacenſem à Berchtoldo II. Zeringiæ Duce, durante bello Burgundico excitatam, communiendã omni ope curavit, pecuniis ad eas impenſas, 420. argenti marcis, ut vocant, mutuò acceptis à Godefrido Stauffenſi Præfecto ſive Marſchallo, cui ceſſit interim in pignus, annis viginti duobus poſſidendas villas & annexum Patronatus jus in Biſchofſingam & Kirchhofium in Briſgoia. Agnoverunt lubentes anno 1264. palamque profeſſi ſunt Briſacenſes Cives, confectis ritè tabulis, ſe, unà cum monte, quem habitant, ditionis eſſe Eccleſiæ Baſileenſis. Richardus etiam Romanorum Rex anno 1265. edixit, Briſacum & Monaſterium Vallis S. Gregorij cum omni ſuo jure, Baſileenſi Epiſcopo ſubeſſe. Certè præter alia jura regalia, jus monetę Briſacenſis ſpectabat ad Epi-

ſcopum

ſcopum Baſileenſem, oppignoratúmque fuit à Ioanne de Vienna Epiſcopo. anno primùm 1367. Burcardo Sporero ab Eptingen, & ſubinde anno 1378. Comiti VValraffo Thierſteinio centum argenti marcis. Id ipſum jus ſat ſuperque comprobat numiſma cenſûs, quod etiamnum ſingulæ ædes Briſaci quotannis pendere ſolent, & nunc, poſt extinctos Vice-Dominos, Offenburgeriani Baſileæ ab Epiſcopis ſe in feudum retinere agnoſcunt.

Anno Chriſti 1258.

Anno 1258. horribili conflagravit incendio Baſilea, illato quoque Eccleſiæ Cathedrali detrimento graviſſimo. Quo ferè tempore Conradinus Conradi Sueviæ Ducis filius unicus, ut recuperaret avitum Siciliæ, & Appuliæ regnum, in Italiam cum exercitu penetraverat, auſúſq; prælio congredi cum Carolo Andegavenſi Sancti Ludovici Galliæ regis fratre,

Anno Chriſti 1258. fratre, victus acie, proditúſque annuli fulgore, dum naulum pendere vellet Piſcatori, cuius lintre ab inſequentium manibus eripi poterat, retrahitur è fuga unà cum Friderico Auſtriæ hærede, ac uterque crudeliter truncatur capite, 29. Octob. 1267. multis ab ipſa poſteritate deplorati lacrymis, ut qui eſſent longiori vitâ ob natales & ætatis florem digniſſimi Principes. Quam cædem Tragicam prolixè deſcribit P. Andreas Brunner, tom. 3. hiſtor. Bavaricæ l. 4. ſub finem, & alij Scriptores.

Anno 1257. 14. Cal. Maij Berchtoldus Oelenbergenſe Monaſterium auxit proventibus, qui ex Rammerſmatten percipiuntur, ut patet ex litteris eiuſdem monaſterij. Et ipſe porrò, poſthabitâ, niſi fallor, præteritorum memoriâ, colloquio familiari cum Rudolpho egit ſubſcripſitque inſtrumento, quo idem Ru-

Rudolphus Habſpurgicus Comes, bona quædam VVettingenſi Cœnobio aſſignavit anno 1259. Brevi pòſt, ubi annis 13. præfuiſſet Berchtoldus Epiſcopatui, obiit, 10. Dec. 1262. *Anno Christi*

HENRICVS III. 1263

Comes Neoburgenſis..

Baſileenſis Epiſcopus.

LXIV.

ALtero, poſtquàm vitam poſuit anno Berchtoldus 1263. Epiſcopi munus admiſit Henricus Neoburgenſis, Vlrici Neoburgenſis Comitis filius, cuius terni fratres ampliſſimas parentis & opulentæ familiæ non minùs quam illuſtris fortunas ita inter ſe ſortiti ſunt. Primo in paternæ hæreditatis diviſione obtigit Neoburgum ad lacum : Secundo Arberga: Tertio Nidavvium, & Straſberga. Sorores Henrici, ſuâ quæli-

bet

Anno Chriſti 1263. bet inſtructa dote nuptui collocatæ ſunt. Vna quidem Comiti Toggenburgenſi, altera Vlrico Baroni Regenſpergenſi, tertia Falckenſteinio, quarta Domino à Grandſé & Rôttelen. His affinitatibus gentilitiæq; domus ſuæ præſidio, ut credere proclive eſt, non parùm tribuens, benéque ob eam ad Epiſcopatus ſui vires acceſſionem animatus, bellum non detractavit cum Rudolpho Habſpurgico gerendum, quamvis variatâ ſæpius fortunæ aleâ, ita ut jam penes hunc, modò penes illum ſtaret victoria. Pro Briſacô & Neoburgo ad Rhenum oppidis lis erat & certamen armorum acre ſæpius repetitum, vaſtatis utrinque aut occupatis, aut everſis pluribus caſtris, pagis, & oppidis : donec poſt diverſas tandem datas & acceptas utrimque clades, pax, anno 1269. compoſita eſt in caſtrô Beückenſi Teutonici ordinis

nis domo, proximè Rheinfeldam. *Anno Chriſti 1263.*
Briſacum Fridericus II. beneficio Baſileenſis Epiſcopi tenuerat, eouſque, dum poſt mortem, ad veterem Dominum ex pacto rediret. Interea Rudolphus cum adhærentibus ſibi Tigurinis, Briſacum ſtratagemate occupat & præſidio firmat. Quam vim manifeſtam, iniuriámque retundere armis Henricus quovis impendio, ſtatuit. Hanc belli cauſam copioſè exponit Gerardus Roo lib.1. Auſtriacæ hiſtoriæ, & Vrſtiſ. lib.2.c.12.

Anno Domini 1269. emit Henricus teſte Stumpfio lib.12.c.26. arcem Biederthan à Comite Godefrido cognato ſuo: anno dehinc 1271. à Comitibus Neoburgenſibus, ſive de Neuf-chaſtel in Burgundia, Bruntrutunam arcem, & Teuffenſtein; illam 260. hanc 40. Marcis argenti. Marca tunc temporis æquabat pretio noſtrates florenos quinque.

Anno

Anno Chriſti Anno 1272. poſt breves armorum inducias, recruduit, quàm hactenus bellum, vehementius, eóque ardore exarſit, ut Rudolphús juſto exercitu comparato Baſileam obſidione cingeret. Verùm, ut ab oppugnatione longâ deſiſteret, optatiſſimo Nuncio permotus eſt, quo ad totam Imperij molem gubernandam ab Electoribus evocabatur. Pace igitur per arbitros facta,
1273. ita de conditionibus inter Henricū & Rudolphum convênit, ut Briſacum reciperet Epiſcopus, Rudolphus 900. Marcas argenti acciperet: captivi utrinque dimitterentur, ſtelliferæ factionis Cives Baſileenſes è nobilitate, Rudolphi partes contra Epiſcopum ſecuti, in civitatem poſtliminio indemnes reciperentur. Neoburgum Imperio addictum permaneret inpoſterum, Roô l.1. & Vrſtiſ. His belli tumultibus Baſilea minor

minor, maioris ante ſuburbium, ſive pagus, muro cincta eſt. Quam deinceps Epiſcopus per Prætorem à ſe conſtitutum, & viginti Senatores rexit, eóque cives donavit privilegio anno 1270. ut non niſi viginti libras quotannis perſolverent. Rebus ita conſtitutis 15. Sept. 1274. moritur Henricus, poſtquam ipſe anno 1271. vel, (ut vult Stumpfius lib. 12. c. 26.) 1272. Vdalricus Pfirtenſis, & eius filius Theobaldus Comites, Henrico Baſileenſi Epiſcopo Comitatum Pfirtenſem, paucis exceptis, vindiderat, prout ex authenticis litteris conſtat in hæc verba: *Vlricus Comes Pfirettarum &c. Noverint igitur tam præſentes quàm Poſteri, quòd nos Domino noſtro Henrico Epiſcopo Baſileenſi, nomine* Eccleſiæ *ſuæ, à qua unà cum progenitoribus noſtris nos multis beneficiis, Feudis (nempe* Anno Christi 1273.

Anno Chriſt. 1271. *Præfecturâ Maſopolitanâ præcipuè) & aliis pluribus utilitatibus ſublimatos recognoſcimus, & multipliciter honoratos, Caſtrum & Oppidum de Pfirreto &c. cum omni jure vendidimus, tradidimus & in vacuam poſſeſſionem miſimus &c.*

Enumeratis deinde aliis ſui Comitatus locis venditione facta conſignat Epiſcopo omnia, præter Caſtrum Schônenbergam, & Illfortum: ita quidem, ut Epiſcopus illi octingentas quinguaginta marcas argenti perſolveret, eundémque Comitatum Theobaldo Vlrici filio, beneficiario, ſive Clientelari iure manciparet, modò fidei Sacramentum præſtaret, de tot ampliſſimis bonis ab Eccleſia Baſileenſi nunquam alienandis, quod & mox præſtitum.

HEN-

HENRICVS IV.

Anno Chriſti 1274.

Ab Iſna, ſeu Iſenheimio, Franciſcanus.

Baſileenſis Epiſcopus. XLV.

EX Piſtoris filio tenuíque fortunâ, viam virtute & præclaris animi dotibus ſibi ſtravit Henricus, ad mitram tandem & ad ipſum Imperij ſeptemviratum. In ordinem enim S. Franciſci cooptatus, Theologiæ Doctoris inſignia capeſſivit primò; deinde Rudolpho Imperatori à ſacris confeſſionibus & conſiliis, anno 1274. Baſileenſis Epiſcopus eligitur. Quod ipſe munus geſſit feliciter & ſeriâ in tractandis negotiis maturitate, magno cum totius Diœceſis emolumento. Anno 1278. Henricus ducentis argenti Marcis emit arcem Zogern à Comite Theobal-

Anno Chriſti 1278. obaldo Pfirtenſi, cum quo ad cavendas lites, ita quoque de Illfurto ac Hohen-Rôdern convênit, ut Theobaldus, poſtquam emptionem Comitatus Pfirtenſis eo confirmâſſet modo, quo, ut vidimus, ſub prioribus Epiſcopis facta erat, ita & ipſe ſimili feudi jure, ea quæ ultimò vendiderat loca, retineret.

Anno 1275. Moniales ordinis S. Auguſtini, ſub Dominicanorum Patrum cura, Cœnobium Clingenthal, auſpiciis & favore Rudolphi Imperatoris, in minori Baſileæ urbe extruxerunt. Quo perfecto ædificij opere, templum Eccleſiæ ritibus ſacris inauguravit Bonifacius Suffraganeus Baſileenſis anno 1297. 17. Maij. Idem effecerunt anno ſequenti Eremitæ S. Auguſtini, Senatus beneficentiâ ſingulari uſi in Cœnobij templique ædificio fabricando. Secutæ mox Clariſſæ, ſedem fixerunt in minori

minori Baſileæ parte, quam anteà Fratres de Pœnitentia incoluerant, curâ moderandi illas virgines Deo ſacras Patribus Franciſcanis demandatâ. *Anno Chriſti 1281.*

Anno 1281. Anna ab Hohenberg gente Sueva, Rudolphi Imperatoris coniunx, Baſileæ ſepulta eſt in templo Cathedrali; cuius piis manibus funebri pompâ parentatum eſt, decernente Rudolpho pro anniverſariis ſacris uxori faciendis, ut jus Patronatûs Auguſtæ veteris & Inningæ, arcis item Rheinfeldenſis, eidem Eccleſiæ cederet. Cuius donationis confectæ ſunt tabulæ Lucernæ, anno 1285. De Henrico noſtro Baſilenſi Epiſcopo tradit Iacobus Chiffletius in ſua Veſontione, ex charta anni 1280. conſignata apud Inſulam ſupra Dubim prope Abbatiam Loci-creſcentis, quòd ille ſubiectionem Odoni 67. Archiepiſcopo Veſonti-

Anno Chriſt. 1284. nenſi promiſerit. Et quamvis Henricus quietis publicæ ſtudioſus, pacem cum vicinis Principibus ſanctè colere ſtuderet, belli tamen ſerias admittere cogitationes coactus eſt, ad arcendum finitimum hoſtem. Fuit is Reginaldus Mont-belgardi Comes, qui anno 1283. militaribus copiis Bruntrutum & arcem monti urbi vicino impoſitam ſuæ poteſtatis fecit. Commotus improviſâ hac irruptione Henricus, opem Rudolphi Imperatoris implorat, & facilè impetrat. Adeſt à Cæſare copioſus miles, arctâ premitur obſidione Bruntrutum, quæ cum ipſa Quadrageſima initium & finem accepit. Redditâ urbe, Comes cogitur obnunciare omni juri, quod in id oppidum & arcem prætenderet, uti & in Advocatiam Ergoviæ, villam, ſeu pagum Buris, arcem Mylandam &c. Conſenſit tamen Epiſcopus, ut Toparchiâ

parchiâ Blamont, cum adiunctis aliquot decimis, Epiſcopatûs Baſilenſis feudo gauderet impoſterum prædictus Comes, *Anno Christi 1284.*

Anno 1284. Baſileæ nuptias, digno Cæſare apparatu, celebravit Rudolphus Imperator, annos ipſe natus 66. ductâ quatuordecim annorum puella Agnete Othonis Burgundiæ Comitis filiâ. Inſequenti anno Legatum mittere Romam conſtituit ad Honorium IV. Pontificem nuper electum. Committitur legationis munus & graviſſimarum juxtà tractandarum cum Pontifice rerum, Henrico Baſileenſi Epiſcopo, quem idoneum ad hoc, induſtriúmque ſatis norât Imperator, datis ipſi membranis vacuis, Imperatorio ſolùm ſigillo munitis, quibus, pro ſua prudentia ex præconcepta Rudolphi mente, plena cum poteſtate uteretur. Huius porrò lega-

Anno Chriſti 1204.

tionis optatiſſimus Pontifici fuit ſucceſſus, quando Rudolphus ſacræ Sedi confirmavit Bononiam & Romaniolam, & ſimul Exarchatu Ravennate ceſſit. Officio legati præclarè functus Henricus, Pontificis ſummā erga ſe gratiam ita promeritus eſt, ut pinguem bene navatæ operæ remunerationem expectare poſſet. Nec aliter accidit. Integro jam triennio Moguntinam dignitatem prenſabant avidiſſimè, Petrus à Reichenſtein Moguntinus Baſileenſiſque Præpoſitus, & Gerardus Eppenſtein Archipresbyter Trevirenſis, uterque favore, patrocinio, factione potens, neuter ſacræ ſedi hactenus ſatis probatus, quis eorum præponendus eſſet. Duos inter litigantes prævaluit tertius, Henricus ab Iſna, nullius ſanè ambitionis ſuſpectus. Is ergo juſſu Honorij promulgatur Archiepiſcopus Moguntinus,

tinus, eamque ſedem tenuit annis tribus ad diem uſque decimum octavum Martij; anno 1288. In hunc poſtea mortuum, quòd erga ſeculares nobiles magis quam Eccleſiaſticos ſe propenſum exhibuerit, vel potius, quòd humili loco natum, ſibi de nobili ſanguine genitis, in Epiſcopali ſede prælatum, habere coacti ſint; vel denique propter Cleri mores acriùs correptos, inviſus, lepido ſarcaſmo luſit Poëtaſter quidam. *Anno Chriſti 1284.*

Nudipes Antiſtes, non curat Clerus, ubi ſtes:
Dum non in Cœlis, ſis ubicumq; velis.

De hoc Moguntino Archiepiſcopo prolixiùs agit Nicolaus Serrarius Soc. IESV, in ſua Moguntia, & Guillimannus in Conrado 59. Argentinenſi Epiſcopo, ubi mentio fit ge-

Anno Chriſti neralis Conventûs Patrum Franciſcanorum Argentinæ coacti, cui Henricus præſentem ſe ſtiterit.

PETRVS I.

A Reichenſtein.

1288. *Baſileenſis* Epiſcopus.

XLVI.

IN faſtigio dignitatis Moguntinæ ubi conſtitutus eſt Henricus ab Iſna, affectu ductus erga Petrum à Reichenſtein ſingulari, ſolerter egit, ut Baſileenſibus, quibus ipſe ſe abdicabat Inſulis ad maiora jā evectus, ſuus olim Competitor cohoneſtaretur Petrus à Reichenſtein. Novum hunc ergo Epiſcopum, qui priorem Epiſcopum Adverſarium potentem damno ſuo expertus fuerat, fortunæ melioris ſpe erectus, bello laceſſere ſtatuit Reginaldus Montbelgardenſis, Burgundorum auxilio elatior

elatior factus anno 1288. Poſt vaſtationes, incendia, & velitationes aliquot, inſtructâ acie concurritur, dubium conflictûs exitum non expectante Egone Friburgenſi Comite, qui cum ſuis copiis è conſpectu maturè ſe ſubduxit. Baſileenſes pugnam iniverunt quidem animo forti & intrepido, palmam tamen ipſi concedere vel inviti debuerunt, fugâ, quâ quiſque potuit, dilapſi. Petrus Epiſcopus res ſuas in arcto verſari advertens, ad æquitatem Rudolphi cauſæ meliori patrocinaturam confugit, auxiliares copias adverſus turbulentum Comitem nova uſque ſerentem & redintegrantem bella, efflagitat. Imperator indignitate rei motus, in ordinem redigere inquietum caput, auctoritatis ſuæ eſſe exiſtimans, collectum abſque mora exercitum in agrum Montbelgardenſem immitti jubet. Nec ſegniùs impe-

Anno Chriſti 1288.

Anno Chriſti 1288. imperata fecerunt Duces: illi namque iunctis Epiſcopi militaribus copiis, anno 1289. Montbelgardum ad deditionem compellunt, & reliqua Comitis ditione ſubactâ, Veſontionem rectà tendunt. Caſtris ibi poſitis, nullo negotio Burgundos auxiliares, corúmque Ducem Rupertum, unà cum Comite Pfirtenſi Theobaldo obſequentes tandem habuit Rudolphus. Mulcta hæc illis ob contumaciam impoſita eſt, ut à Cæſare magni beneficij loco ditiones ſuas in feudum reciperent. Reginaldus præterea, quadraginta florenorum millibus mulctatus. Ita demum Burgundia Imperio rurſus aſſerta eſt armis Rudolphi Imperatoris, cùm antè Reginaldus Montbelgardi, eiúſque frater Otho, Burgundiæ Comes ditionum ſuarum jura Galliæ regno potiùs, quàm Imperio Germanico annexa vellent. Vnde & hoc

hoc bello Philippus Pulcher Galliæ Rex, per Legatos Rudolpho quidem minatus eſt, ſed ultra minas non proceſſit. Anno 1290. 7. Sept. ſupremo defunctus eſt die Petrus Epiſcopus, cui juſta perſoluta in Cathedrali æde, & ipſe terræ mandatus eſt juxta aram Beatæ Virginis. Nec ultrà ſuperſtes vixit Rudolphus quàm unius anni ſpatio, mortuus 22. Iulij, vel, ut alij malunt, ultimo Septembris, ætatis ſeptuageſimo ſecundo, Spiræ ſepultus. *Anno Chriſti*

PETRVS II. 1294.

Ab Aſphelt ſive Aſpelt.

Baſileenſis Epiſcopus.

LXVII.

TYrolenſis patriâ, profeſſione Medicinæ Doctor, curare juſſus eſt Epiſcopatum Baſileenſem, voluntate Bonifacij VII. Eccleſiæ clavum tum

Anno Chriſti 1292. tum gubernantis. In hac nova conſtitutus dignitate Petrus, Adolpho Naſſovio, fidelem gratámque operam præſtitit. Anno ſiquidem ineunte 1292. ſalutato ab ordinibus Imperij, in Cæſarem Adolpho, Colmaria Alberti Auſtriaci confiſa potentiæ, eo uſque rebellem ſe oppoſuit, dum armis ſubigeretur. Quod & factum, ope ſingulari & opportunis ſuppetiis Argentinenſis, atque Baſileenſis Epiſcopi, in cuiús gratiam Rebellionis primariis Capitibus, Conſuli, ſcilicet Colmarienſi, eiúſque filio læſæ maieſtatis injuriam condonâſſe Imperator dicitur.

Emit Petrus anno 1305. à Friderico Toggenburgenſi, Leucoſtabulum, vulgò Liechſtallium, arcem Honbergenſem, & villam Elſenvvihr in Alſatia, indignante quidem Alberto Imperatore, qui hæc ſibi & hæreditariis ditionibus Ergoviæ adiecta cupiebat. Eo-

Eodem anno Cardinales Peruſij *Anno Chriſti*
congregati, ſacríſque habitis ibi Cô-
mitiis, Clementem V. Pontificem
Supremum conſalûtârunt. Hic ſe-
dem Româ tranſtulit Avenionem,
non inde movendā ante ſeptuagin-
ta quatuor evolutos annos. Cle-
mentem inde adeo ſibi benevolum
habuit Epiſcopus Petrus, ut à Baſi-
leenſi Cathedra ad Moguntinum
Archiepiſcopatum promoveretur.
Quo in ſublimi munere, præter alia
religioſe geſta, Patribus Carthuſia-
nis Cœnobium condidit. Poſt bre-
ve tempus, anno videlicet 1314. inter 1314.
Septemviros Imperij Electores, diſ-
ſenſio fuit non modica, quis Henri-
co Lucelburgenſi Imperatori defun-
cto ſubrogandus eſſet. Favit Petrus
Ludovico Bavaro contra Frideri-
cum Auſtriacum, memor offenſio-
nis, quam olim ab Alberto Friderici
parente ſe acccepiſſe conteſtabatur.

Anno

Anno Anno denique 1320. 20. Iunij morta-
Chriſti lis eſſe deſiit.

1320.
OTHO II.

A Grandſé, Baro Burgundus.

Baſileenſis Epiſcopus. *XLVIII.*

INſtitutus à Clemente Pontifice Baſileenſium Epiſcopus Otho Granſeius, turpiſſimo, quod in Cæſarem coxerat facinore, nomen & famam longè obſcuravit. Cauſa meditatæ cædis fuit, repulſa illa & mora longior, quâ Imperator Albertus, petita concedere ipſi Iura Regalia abnuebat. Quare, vindictæ cupiditate incenſus Otho, conſilium capit dignitate ſua indigiſſimum, & facinoroſis quibuſque, ac profligatæ vitæ conſceleratis abominandum. Præſentem ſe ipſe Impera-

peratori ſiſtere, ſuarúmque ditionum, quas Imperij beneficio obnoxias habebat confirmationem urgere ſtatuit: quæ ſi negaretur, nihil certius, quâm Albertum mox confodiendum. Datur itaque aditus & alloquij cum Cæſare copia, per Interpretem, quòd Germanicè neſciret Otho, Hugonem à Sole Civem Baſileenſem primarium, quem animi ſui propoſitum haud prorſus celaverat. Primo aſpectu Cæſar, Epiſcopum ſtatura ſupra mediocrem inſigni contuitus, ſcitatur, quid velit procerus ille *Scholaſticus?* Quid dicat Cæſar, ex interprete, quærit Otho. Interpres averſatus grande ſcelus, cautè admodum reſpondet: non ſatis vacare Cæſari longiorem hodie trahere ſermonem, diem craſtinā commodius negotiis expediendis otium daturam. His auditis, Otho, poſt actas Cæſari in ſpeciem *Anno Chriſti 1320*

 huma.

Anno Christi 1320. humaniter, gtates, abſcedit reditus ſui indubius. Albertus interim de periculo commonefactus, ſummo manè egreſſus, in Ergoviam ſecedit, ubi cum ſuis de Præſulis nefario conſilio conqueritur, vindictâ conceptæ animo cædis in tempus magis idoneum dilatâ. Anno dein 1308. arma in Epiſcopum ſumit, arcem Fürſtenſtein obſideri per Præfectos ſuos jubet. Otho concitatam in ſe vehementer iram Cæſaris non ignorans, veniam & pacem exorandam putabat. Obſervato igitur tempore, quo Eliſabetha Cæſaris coniux, præter Baſileæ ſuburbium Rheinfeldam peteret, currum adequitans eam ſibi conciliatricem parabat. Nec ſpes ipſum fefelliſſet, ſi ad Imperatricem pacis ſtudioſam accedere licuiſſet. At aulici, qui Auguſtam comitabantur, ex compoſito, ab aditu & alloquio Epiſcopum

pum prohibebant; ſingulariter verò quidam nomine Conradus ex familia Mònch, carrucarios equos ad curſum flagris itentidem impellens. Ita luto reſperſus & ludibrio habitus, re fruſtra tentata Baſileam triſtis revertitur Otho. Eodem anno Calendis Maij, Albertus Imperator à Ioanne Nepote, ex Rudolpho fratre, apud veterem Vindoniſſam trucidatur. Quo accepto Nuncio, Epiſcopus terrore liberatur. Nam cum obſeſſi in arce Fürſtenſteiniana, eam poſtridie dedere conſtituiſſent, ſub noctem Nuncius ad collem arci vicinum advénit, VVernerúmque à Rothberg perfectum nominatim inclamans, Cæſaris necem denunciat. Eodem nuncio ſub mediam noctem in caſtris vulgato, arx obſidione ſoluta eſt, & Auguſta, eiúſque liberi cum Epiſcopo deinde in amicitiæ gratiam redierunt. Baſileæ ta- *Anno Christi 1320.*

Anno Christi 1310. men Nobiles aliqui Mönch, Schaler &c. quòd Alberti partibus contra Epiſcopum adhæſiſſent, ſolum vertere juſſi ſunt. Hactenus ferè Gerardus Roo, lib. 2. hiſt. Auſt. fol. 76.

Anno 1309. operâ maximè Petri ab Aſphelt Moguntini jam tum Electoris, Baſileenſis antè Epiſcopi, creatus eſt Cæſar, Henricus Comes Lucelburgenſis, & Aquiſgrani die trium Regum coronatus. Is adverſo vectus Rheno, peragratis intermediis urbibus, Baſileam venit, Cæſar ubique ſalutatus, iter in Italiam indixit. In hoc itinere Henricum comitatus eſt, inter àlios, ipſius frater, Balduinus Trevirenſis Elector, Epiſcopus Leodienſis, & Baſileenſis, aliique Seculares & Eccleſiaſtici Principes. Romam poſtquam feliciter pervenerunt, à Cardinalibus, (nam Româ ſe Avenionem contulerat Pontifex) coronâ Imperatoria more

more ſolenni redimitus eſt. Otho Baſileenſis in hoc itinere extinctus ſcribitur non ſine propinati veneni ſuſpicione. Cæſar ipſe poſt tres annos in Italia exactos, veneno & ipſe ſublatus creditur 15. Auguſti, anno 1313. Quo tempore, adeo ſæviit peſtis in Germania, præſertim in urbibus ad Rhenum ſitis, ut Baſileæ quatuordecim hominum millia interirent. Peſtem ſecuta rerum penuria & fames tanta, ut fœda eorum qui in furcam acti fuerant, cadavera apud nonnullos eſſent in deliciis. *Anno Chriſti 1310.*

Huic Othoni, anno 1309. titulo donationis, & ad plures ſopiendas tricas, tranſcripſit Theobaldus Pfirtenſis Comes nobilem Toparchiam, Caſtrum & oppidum Blumbergam, ſive Florimontem, eâ pactione, ut donata feudi nomine retineret.

Anno Chriſti 1304.

GERARDVS
à VVippingen.
Baſileenſis Epiſcopus.
XLIX.

IN ea Noithonum ſive Aventicorum valle, quàm de Ogo vocant, duobus circiter milliaribus Friburgo Helvetiorum,fuit olim ſedes pervetuſtæ ac nobilis familiæ Dominorum de VVippens, à quibus oriundus hic Gerardus. Extant hodiéque in Inſtrumentis proximi illi loco Marſenſis Monaſterij, olim Præmonſtratenſis quidem ordinis, ſed anno demùm 1580. poſt eius conflagrationem & ultimi Abbatis mortem, reſidui reditus multis implicati difficultatibus, auctoritate tandem Apoſtolica, & rogatu ampliſſimæ Friburgenſis Reipublicæ, fundationi Collegij Societ. IESV applicati ſunt; extant

extant, inquam, in illis Inſtrumentis *Anno Chriſti* 1310.
haud obſcura pii affectus Gerardi huius Epiſcopi erga dictum monaſterium indicia, dum adhuc Lauſannenſem Epiſcopum ageret. Poſtquam enim Lauſannenſi præfuiſſet Eccleſiæ, Clemens V. ipſum defuncto Othoni in capeſſenda Baſileenſi Infula ſubſtituit. Et quamvis Gerardũ acceptare tergiverſarentur Canonici, quin, palàm voluntati Pontificis repugnarent, Hartmannúmq; Comitem à Nidavv ipſi præponendum, & jam à ſe electum vellent; ubi tamen viderunt excommunicationis fulmen in ſua capita contorqueri, manus dederunt, futuri imposterum in poteſtate Pontificis & Gerardi Epiſcopi. Per idem tempus, Novembri menſe, anno 1314. à ſe plurimùm diſſidebant Electores Francofurti congregati. Diſſidium faciebat, Romanorum Imperatoris

Anno Chriſti 1310. quæ agitabatur electio, ſtudiis prorſus contrariis. E purpuratis Septemviris Petrus Moguntinus, Balduinus Trevirenſis Archiepiſcopi, Ioannes Rex Boëmiæ, VVoldemannus Brandeburgicus, Ludovicum Bavarum elegerant. Reliqui tres Fridericum Auſtriacum Alberti filium. Hinc diviſum rurſus Imperium interneci nis fœdè diſcerptum eſt bellis. Inferiores Rheni Civitates adhæſerant Bavaro: ſuperiores & plerique Helvetij Auſtriaco.

Dum hæc gerebantur, Fridericus matrimonium iniit cum Eliſabetha Iacobi Aragonum Regis filia. Frater eius Leopoldus filiam Ducis Sabaudiæ duxit. Nuptiæ anno 1323. poſt ferias Pentecoſtes celebratæ ſunt Baſileæ, ubi oſtenſa Romani Imperij inſignia, lancea cum parte crucis Chriſti, Corona item & enſis Caroli Magni. Poſt aliquot annorum bella,

com-

commiſſo prælio, & profligato Auſtriaco exercitu Fridericus in poteſtatem Ludovici venit anno 1323. honorificâ captivitate detentus. Nec feliciùs Gerardus Baſileenſis Epiſcopus cum Comite Neoburgenſi ad lacum, acie contendit, ſemel iterúmque victus, qui tandem belli ſatur, quietam mortem obiit, teſte Stumpſio, anno 1325. 16. Apr. humatus in templo Cathedrali, infra, Mônichorum ſacellum, ubi eius epitaphium adhuc viſitur. Sub hoc etiam Epiſcopo, aucta fuit Eccleſiæ Baſileenſis ditio: anno namque 1320. Vlricus Comes Pfirtenſis & eius coniux Iohannetta, tertiam hæreditatis partem, quam à Comite Berchtoldo de Strasberga acceperant, Gerardo à VVippingen, Baſileenſi Epiſcopo tranſcripſerunt, ac brevi pòſt, defectu maſculæ prolis, extincta eſt illuſtris Comitum Pfirtenſium familia. *Anno Christi 1320.*

Anno Chriſti 1325.

IOANNES
De Cabilone, ſeu de Chalon.
Baſileenſis Epiſcopus.
L.

HVnc ex Illuſtriſſima Orangiæ Principum ſtirpe natum, Ioannes XXII. Summus Pontifex, Gerardo ſucceſſorem dedit. Obnitebantur iterum Canonici, qui unanimi ſtudio in electionem Hartungi Mônich conſpirarent. Atque is Hartungus iam exacto ab urbibus & arcibus ſacramento, Cabilonenſi excluſo, ſe in publicis litteris Epiſcopum Baſileenſem propalabat. Verùm, irrito conatu: cedendum fuit tandem auctoritati Pontificiæ. Quâ factum, ut Ioannes Cabilonenſis in poſſeſſionem Epiſcopatus Baſileenſis immitteretur: quem tamen

men titulum diu non retinuit. Nam electus Carnutenſis Epiſcopus, Baſileenſem adminiſtratorem ſe nominabat. Eius obitus diem ſcribunt 23. Maij anno 1330. Sexennio antè mortuus Vlricus ultimus Comes Pfirtenſis, duas reliquerat filias, Ioannam & Vrſulam. Prima connubio juncta eſt Alberto II. Alberti I. Romanorum Regis filio, Rudolphi Imperatoris Nepoti, quem cognomento Contractum & Sapientem dixerunt. Hic Albertus II. Rudolpho, Henrico, Othone, Friderico ac Leopoldo, fratribus ſine prole, ſaltem maſcula defunctis, ſolus ſupererat Auſtriacarum ditionum hæres, & quidem ſacris maioribus initiatus, Paſſauienſis Epiſcopus electus. At ne nobiliſſima & tot Imperatorum ferax maximo orbis damno deficeret familia, à Pontifice ſolutus religione Albertus, uxorem *Anno Chriſti 1325.*

duxit,

Anno Chriſti 1325. duxit ſtirpémque propagavit. Numeratis affini ſuæ Vrſulæ octo Coronatorum millibus, Comitatum Pfirtenſem obtinuit; quem deinde Archiduces Auſtriæ, jam tum Alſatiæ Landgravij, ſeudi nomine ab Epiſcopis Baſileenſibus conferendum, & ubi res ferret ac Principum mutátio, rurſus petendum, multis ſæculis quietè poſſederunt: ab anno ſcilicet 1361. quo Epiſcopus Ioannes de Senna à Münſingen firmandæ concordiæ & Pacis perſtudioſus, Duci Rudolpho inſigne hoc feudum Baſileæ contulit, uſque ad annum 1629. quo Archidux Leopoldus per Comitem Ioannem Erneſtum Fuggerum ab Epiſcopo Ioanne Henrico ab Oſtein, Clientelare jus in Comitatum Pfirtenſem petiit, & more maiorum, ſe Baſileenſis Eccleſiæ Beneficiarium luculenter conteſtatus eſt. Sed ut ad Albertum redeamus,

Alt-

Altkirchium ille mœnibus cinctũ ad oppidi elegantiam effecit ſub annum 1330. Anno verò 1326. Ludovicus Bavarus mortuo Friderico æmulo ſuo, cum Auſtriacis fratribus Othone & Alberto pacem compoſuit, iis conditionibus, quas pro arbitrio Ioannes Boemiæ Rex diribitor conſtitutus decerneret. Ea verò fuit, ut Cæſar Othoni pro belli ſumptibus viginti Imperialium nummorum millia refunderet, & quatuor Imperij Civitates eius ditioni adiiceret; Schaffuſium, Rheinfeldam, Neoburgum, Tigurum. Sed Tigurinis pacta hæc privilegiis ſuis contraria obtendentibus, de Briſaco conventum eſt, ſua Tiguro libertate permiſſâ. Poſtero anno 1327. die 3. Iulij, ſævo incendiò minor Baſilea, ferè tota conflagravit. Ioannes vero de Chalon Epiſcopus, ex relatione Gilberti mortem oppetiit in Burgundia *Anno Chriſti* 1325.

Anno Chriſti gundia 23. Maij 1330. prout ex inſcriptione marmoreæ tabulæ inciſa in templo monaſterij Montis S. Mariæ Ordinis Ciſterçienſis ad Dubim fluvium conſtituti, refertur ab eodem authore.

1330.

IOANNES II.

De Senna.

Baſileenſis Epiſcopus.

L I.

IOannes Burcardi de Senna à Munſingen, ex Ioanna à Bucheck filius Epiſcopatum ab anno 1330. in alta pace tenuit annis quinque ſupra triginta, à Guillimanno celebratus in Berchtoldo 26. Epiſcopo Argentinenſi. Atque ex eo Germaniæ Epiſcoporum numero fuit, qui ſupplices Benedicto XII. anno 1338 acciderent, pro abſolvendo Ludovico Bavaro Pontificiis execrationibus nuper

nuper devoto. Quibus & ipſe diris ſimul obnoxius Ioannes, ſacrorúmque uſu prohibitus, poſt mortem Ludovici, & Caroli Imperatoris auctorationem, in gratiam receptus eſt, vti teſtatur Ioannes Georgius Hervartus in defenſione Ludovici Imperatoris, ad annum 1338. quo fere tempore, Ioanni Epiſcopo, atque Murbacenſi Abbati Baſileæ jura Regalia contulit Carolus IV. Imperator, die Natali, poſtquam Cæſar in Eccleſia Cathedrali, ſacro epulo refectus, dextrâ ſtrictum geſtans gladium, dum res divina perageretur, Evangelium recitavit: *Exiit editum à Cæſare Auguſto &c.* Anno Chriſt

Idem Ioannes Epiſcopus Altkirchij ſacellum Deiparæ nomini dicatum, poſt laxatas nonnihil loci anguſtias conſecravit, anno 1345. Paulò poſt 1348. allata ſunt Bambergâ Baſileam lipſana brachij dextri S. 1345.

Hen-

Anno Chriſti 1345. Henrici Imperatoris in duas diviſa partes, quæ 1. Novembris ſolemni ritu ſupplicantium procedentes exceperunt, & decenter in Cathedrali Eccleſia depoſuerunt. Ea de cauſa Ioannes Epiſcopus diem XII. Iulij feſtivum eſſe voluit S. Henrici honoribus, per totum Epiſcopatum, tum ob divi ſanctitatem miraculis poſt mortem illuſtratam, cùm ob eius ſingularia in Eccleſiam Baſileenſem merita, quam ipſe olim ab infidelibus vaſtatam inſtauraſſet liberalitate inſatiabili. S. Henrici couiugi Cunegundi Sanctitate ſuppari religioſam quoque Ioannes inſtituit memoriam, quotannis celebrandam
1356. nono Septembris. Annus 1356. exitialis prorſùs & luctuoſus fuit præſertim Baſileenſibus: etenim horrendis terræ motibus, & incendiis concuſſa eſt Baſilea, ut Ænea Silvio teſte, centum ædes in ampliſſima Civi

Civitate vix ſupereſſent integræ, collapſis turribus, templis, & nobiliſſimis quibuſque ædificiis. Nec malum intra urbis unius ruinam ſtetit. Everſæ præterea in Iuraſſo monte arces triginta quatuor, à Stumpfio l.12. cap. 28. recenſitæ, nominatim utraque Delſpergenſis, Pfeffingenſis, Thierſteinenſis, Reichenſteinenſis, Münchenſteinenſis, &c. Ab hac communi multis ruinâ Epiſcopus Ioannes, ædem Cathedralem, palatium, arcéſque ditionis ſuæ longè magnificentiùs, quàm antè, aſſurgere fecit. Ita frequenter animos ipſa erigunt infortunia. Vnde à Clero eam meritus eſt appellationem, ut ſacer Antiſtes totius Epiſcopatûs arciúmque Reformator prædicaretur. Conſecrato templo, vigeſimo quinto Iunij, anno 1363. celebrem Dedicationis diem I I. Octob. habere voluit. Supremum verò clauſit ultimo

Anno Christi 1345.

1363.

Anno Chriſt 1363. Iunij 1365. ſepulturâ donatus, quæ ſub gradibus, altari S. Himerij à ſe fundato proxima.

Is ipſe eſt Epiſcopus, qui ſacellum in Lauffen conſecravit, cui Cives deinde bonâ Ioannis à Veningen Epiſcopi venia, multum ornamenti & opum addiderunt.

Neque hic prætermittendum eſt, quod ætate noſtri Ioannis à Senna Epiſcopi per duos annos ſcilicet 1348. & 1349. lues poſt homines longè peſtilentiſſima orbem propè univerſum funeſtârit. Delata hæc ex tranſmarinis regionibus, Italiam primò, Germaniam deinde, Galliam, Hiſpaniam, ceteráſque ad extremos uſque Britannos provincias pervagata, plures urbes exhauſit, pagos ac vicos innumeros funditus extinxit: idque ex veneni ſævitia, ut vel remotior afflatus manifeſto eſſet exitio, & vel ſola Baſilea ultra 14000. hominum

num extulit. Et quamvis vulgò tam atrocis calamitatis Iudæos auctores eſſe ſuſpicarentur non pauci; quòd illi nempe fontes, puteos & ciſternas intoxicaſſent (à quibus aliâs qui abſtinebant, innoxij erant & immunes mali) proindéque illos paſſim ignibus, aliiſque ſuppliciis perimerent. Non deerant tamen, qui Iudæos culpâ tam immani vacare ſentirent, atque hoc aëris contagium potiùs antecedenti terræ concuſſioni, ſive iis, quos patentes terræ hiatus exhalaſſent, craſſis & venenatis vaporibus attribueret. *Anno Chriſti*

IOANNES III. 1366.

De Vienna.

Baſileenſis Epiſcopus.

LII.

METenſem antè Canonicum Ioannem de Vienna, Catalogo

Anno Chriſt. 1366. Baſileenſium Epiſcoporum inſeri voluerat Vrbanus V. auctoritate Pontificia. Electum fuiſſe Archiepiſcopum Biſuntinum anno 1355. vult Chiffletius, anno 1361. Metenſem, anno denique 1366. Baſileenſem, at vix aliunde nobis memorabilem, quàm bellis & cladibus, quibus vel ipſe affecit alios, aut certè ab aliis, attritus eſt, dolendâ Epiſcopatus jacturâ: ut qui non tam pedum tractare nôſſet molliter, quàm acris Princeps ingenij, gladij armorúmq; rigore plus ſatis uteretur.

Anno 1366. Bielenſes ille ſibi ſubiectos, quòd fœderi, ſe invito, cum Bernenſibus, & Solodoranis inito renunciare nollent, pridie omnium Sanctorum, vi armatâ obruit, gravémque oppido cladem cædibus, & incendio intulit. Irritati vehementer hac irruptione Confœderati, arma & ipſi corripiunt, Grandem

dem-vallem & S. Himerij ferro flam- *Anno*
máque devaſtant, maxima reliquæ *Chriſti*
Diœceſis trepidatione. Ita Epiſco- 1373.
pus ſe jam peti ſeriò advertens, viribus, putem, longè inferior, & qui antè non ſatis prævideret, quo impendio ſtent bellorum dubij exitus, vallem S. Himerij, Kalenbergam, Spiegelbergam, S. Vrſicinum, Lauffenum, Pyrſeckiū &c. univerſim vigeſies mille & ſexcentis florenis oppignorat, nervo belli utiq; deſtitutus. Baſileenſibus quoque anno 1373. preter alia jus ſignandæ monetæ vendit triginta Coronatorum millibus: ex quo tempore nummos Paſtorali pedo inſignire cœperunt. Sequenti anno cum iiſdem Baſileenſibus bellum geſſit priori nihilo felicius: ſuperiores enim illi ſubiectas Epiſcopo urbes Pfirt, Belfortum, Bruntrutum, Haſenburgum & Pfeffingam, flammis exuſſerunt. Pax tandem,

Anno Chriſti ut ſua cœlo poſt triſtes tempeſtatum tenebras redit ſerenitas, Epiſcopatui reddita: ita tamen, ut ipſa minor Baſilea oppignoranda fuerit Leopoldo Auſtriaco, cui pro belli ſumptu, triginta florenorum millia numeratò exhibere non poſſet Epiſcopus Leopoldi ſuppetiis adiutus. Fuit hic Leopoldus Alberti ſapientis filius, avus Friderici III. proavus Maximiliani I. Imperatoris, cum magno Nobilium numero, in pugna Sempacenſi ab Helvetiis victus & trucidatus, anno 1386.

1377. Anno 1377. orto Baſileæ diſſidio inter Cives & nobiles urbis, ita demum res compoſita eſt, ut ex utroque Civium, nobiliúmque numero deni pariter deligerentur, quibus primo ſemeſtri Conſul, altero ſummus Tribunus-plebis in Comitiis adeſſet: penes hos viginti duos jus eſſet & poteſtas diſceptendi, cauſas deci-

decidendi lites, bella cum externis ſuſcipiendi aut ponendi. Subinde nummos cuderunt Baſileenſes, quorum quindecim, florenum efficerent. *Anno Chriſti* 1377.

Interim Epiſcopus per Ioannem à Bechburg & Rutſchmannum à Blavvenſtein duces militares, offenſus à Comite Thierſteinio, Kiburgico, & ſuis iterum Baſileenſibus, captivum abduxerat Sigiſmundum à Thierſtein, ac Cives aliquot Baſileenſes. Exacerbatus eo facto Leopoldus, eiurat Epiſcopi partes, fœdus init cum Baſileenſibus anno 1379. Fœderis leges erant iſtæ. Mutua ſe ope juvarent & conſilio, donec illata damna repararentur: ſi quæ oppida & arces occuparent conſociatæ vires, ea retinerentur, donec vitâ functo Ioanne, ſucceſſor hoſtem ſe vel amicum aperiens, damna repararet. Ita reſumptis utrinque armis nihil

Anno Chriſti omiſſum eſt hoſtilitatis, quamvis de inſtaurato hoc bello ſolum id conſtet, Leopoldum anno 1381. Leucoſtabulum per vim occupâſſe, & ab incolis Sacramentum fidelitatis exegiſſe. Tot denique bellis & vitæ finem impoſuit Ioannes Epiſcopus
1381. Bruntruti anno 1282. ſine ullo ſubditorum luctu, quos bellorum ducta continenter unius ex alio catena; ſeptemdecim illis, quibus Diœceſin, non tam rexit quam attrivit annis, intolerabili onere oppreſſiſſet.

IOANNES IV.

Barò à Bucheck.

Baſileenſis Epiſcopus.

LIII.

EXpungitur ab aliquibus ſcriptoribus è numero Baſileenſium Epiſcoporum, vel quod immaturâ ſublatus morte, vix anno integro eam

eam dignitatem ſuſtinuerit, vel, quòd eiuſdem cum anteceſſoribus fuerit nominis, ut facilè cum proximo anteceſſore potuerit confundi. Non eſt tamen, cur ob illam dignitatis brevitatem, hanc brevem ſaltem & nos Ioannis mentionem faciamus. *Anno Christi*

IMMERIVS. 1383.

Baro à Ramſtein.

Baſileenſis Epiſcopus.

LIV.

POſt mortem Gregorij XI. qui poſt annos ſeptuaginta, ſedem Pontificiam rurſùs tranſtulit Romã, orto, ſi unquam aliàs, periculoſiſſimo ſchiſmate, Vrbanus legitimus Pontifex & Clemens Pſeudo-papa orbem in factiones contrarias diviſerant, prout ſuus quemque in ipſos ferebat affectus. Ita & Canonico-

Anno Chriſti 1383. rum Baſileenſium Collegium diverſiſſimis ſectum & ſententiis, & ſuffragiis duos legunt Epiſcopos, anno 1383. Vernerum Schaler Archipreſbyterum & Immerium à Ramſtein Baronem: hunc approbante Gallo Papa: illum impenſis maximè Leopoldi Archiducis ſtudiis, Romano veróque Pontifice. Vernerus, ut erat publicæ tranquillitatis amans, ultro ceſſit, privatis commodis à ſpe dignitatis adeundæ inſuper habitis, contentus accepta pignoris loco arce Iſteinenſi, quam ipſe poſtmodum ſorte ſua ter mille florenorum potitus, Leopoldo tradidit; & hic rurſus Burcardo Mönichio à Landskron, quo denique poſſeſſore, Baſileenſes per tumultus bellicos eam everterunt. Ramſteinio, prius nihil fuit ad novi ſplendoris ſtabilimentum, quàm annutum gratiámq; Imperatoris VVenceſlai pro more alio-

aliorum Imperatorum conſueta iura Epiſcopis permittentium, efflagitare. Poſtulatâ ubi facilè impetraſſet, perſolutis Cancellariæ trecentis florenis, ſive argenti marcis ſexaginta, æs alienum contrahere cœpit, curſu ſanè ad debita præcipiti, quibus tum ipſe, tum plures alij Epiſcopi Diœceſin ad pauciores reditus magis magíſque arctabant. Ita & Immerius egit, ſive forſan ob rei domeſticæ neglectum, nimiam circumpedum aulicorumve turbam, qui Principis latus ſtiparent, eo perinde numero, quem non niſi florens Diœceſis ſtatus ferre poſſet. At nunc, ditio bellicis exhauſta deprædationibus, avulſis etiam per temporum iniurias melioribus Toparchiis, tot pecuniis contribuendis impar cùm eſſet, mirum non eſt, ſi neceſſitas Immerium perpulit, ut arcem Bruntrutanam Stephano Montbelgardenſi *Anno Chriſti* 1393.

unde-

Anno Christi undecies mille florenis obſtringeret, arcem quoque Goldenfels Petro à Cly triginta duobus florenorum millibus: factâ inſuper incolis poteſtate, ut juramentum Creditori dicerent. Et Baſileenſibus anno 1389. exſolvendis debitis minorem Baſileam, jam antè duro vinculo ab ipſiſmet Epiſcopis devinxit. Delſpergam ægrè retinuit, eámque ſex florenum millibus oppignoratam.

1371. # FRIDERICVS I.

A Blanckenſtein,

Epiſcopus Argentoratenſis, Adminiſtrator Baſileenſis.

LV.

IMmerio Ramſteinio ad regendum Epiſcopatum non ſatis idoneo perſuaſerant Canonici, ut depoſito Epiſcopi titulo, Præpoſituram Cathedra-

thedralem repeteret. In eius proinde locum anno 1391. ſubrogatus Fridericus à Blanckenſtein Epiſcopus Argentoratenſis, ſacramentum à ſubditis accepit, retento ſolùm Adminiſtratoris minúſque ſumptuoſo aut ſplendido nomine. Verùm, Fridericus Princeps conſtitutus, (ſic ſpes erat, ut emendaret, quæ Immerij effuſio prodiga peccaverat) novis ipſe ſuſcitavit debitis: quando plura adhuc Epiſcopatûs loca aut abalienavit, aut oppignoravit, redimendi lege interpoſitâ. Et minorem quidem Baſileam anno 1391. Baſileenſibus devinxit viginti duobus florenorum millibus, pactus, eam pecuniæ ſummam ſe proximo anno redhibiturum. Sed annus ſequens æquè inopem pecuniarum vidit Fridericum ac prior. Quare ipſe circa diem Palmarum omne jus in minorem Baſileam civibus ex integro *Anno Chriſti 1391.*

tian-

Anno Chriſti 1391. tranſcripſit, pretio viginti, novē millium & octingentorum florenorum, venditionem hanc diplomate Pontificio, confirmante Bonifacio IX.

Sed necdum finis vendendi, abiungendique bona Diœceſis, quæ per ea tempora induſtrium Principem, Oeconomiæ melioris peritiorem deſiderabat, Promos hactenus complures cribrorum inſtar nullarum opum tenaces, ad ruinam uſque ſuam paſſa. Certè idem Fridericus, præter ea, quorum jam meminimus, Argentoratenſi Epiſcopatui, factâ venditione, annexuit aliquot Decimarum Quartas, quibus antea Baſileenſis Epiſcopus per Alſatiam fruebatur. Has verò Quartas, ut vocabant, omnium decimarum ſuæ Diœceſeos Epiſcopis olim aſſignaverat I. Concilium Aurelianenſe.

Anno tandem 1393. Fridericus poſtu-

poſtulat' Vltraiecti Epiſcopus, Guil- *Anno*
limanno auctore, in Epiſcopo 66. *Chriſti*
Argentoratenſi, Epiſcopatu Argen- 1393
toratenſi, & ſimul Baſileenſis administratione ſe abdicavit, nullo certè ſui deſiderio relicto, quem pridem læto animo, bonis avibus diſcedentem conſpexiſſent.

CONRADVS
Mônch à Landskron.
Baſileenſis Epiſcopus.
LVI.

IN Conradum necdum ſacris initiatum cecidere Canonicorum vota. Sed nec is ulla parcimoniæ laude floruit, priorum ſecutus exemplum. Adeo difficile eſt retinere, quod impreſſo jam ab aliis voluitur impetu. Quæ oppignaverant ipſius anteceſſores, graviore adhuc ære alieno premere inſtituit, approbatâ anno 1394. 24. Au-

Anno Chriſti 1395. 24. Auguſti, venditione minoris Baſileæ: quo anno tumultuatum eſt in hac urbe, ob Canonicorum obſtinationem, in quos ſummus Pontifex Anathema pronunciaverat, utpote Oſvvaldum Pfirter à ſacra ſede nuper albo Canonicorum adſcitum recipere detrectantes. Interdicta & ipſa ſacrorum uſu Civitas, donec ſuum Collegam expiati reciperent Canonici.

Anno 1395. menſe Septembri cum res Epiſcopatus in peius uſque ruerent, receptâ pecuniæ ſumma, quam de ſuis fortunis erogaverat, gubernaculum ab altero, feliciùs, ut optabat, tractandum commiſit Epiſcopus Conradus.

HVM-

HVMBERTVS

Anni Chriſti 1395.

Comes de Novo-caſtro.

Baſileenſis Epiſcopus.

LVII.

ELectio Humberti, ut in novis mutationibus plerumque accidit, ſpe magnâ compleverat animos, illum demum ex tot Principibus fore, qui bellis intempeſtivè ſuſceptis, aut maiori, quàm ferret Diœceſis, luxu, acciſam reſtitueret rem. Et certè poterat id præſtare omnium commodiſſimè Humbertus, ſi ſerius fuiſſet animus, ut erat facultas, de hoc Epiſcopatu merendi bene, & æternum apud poſteros ſibi nomen comparandi. Etenim, qui oppignoratas tenebant pleraſque huius Epiſcopatus Toparchias, ſanguine aut affinitatibus coniuncti erant Humberto: cui proinde in

Anno Chriſti 1395. gratiam illuſtris, ex qua procreatus erat, apud Burgundos familiæ, tantò proniori voluntate gratificati, ea Eccleſiæ bona reſtituiſſent, ſi mutuò data reddi, expenſa perſolvi, & præſtiti à ſe obſequioſi officij aliquam honeſtam exhiberi rationem perſpexiſſent. Sed ſpem de ſe conceptam longè fefellit Humbertus, quandoquidem anno 1400. Leucoſtabulum, Vallenburgum & Hochburgum Baſileenſibus jure perpetuo addixit: S. Vrſicinum inſuper, Pluzhuſium Montem liberum, Theobaldo Neoburgenſi Comiti, aliis alia in pignus pro accepto gravi ære devinctum mancipavit. Ita nempe ſenſim per partes erat promercalis expoſita Baſileenſis Epiſcopatûs ditio, ut ex illius amplitudine nihil, præter Bielam, arcem Ergue & vallem S. Himerij cum Delſperga ſupereſſet.

Baſi-

Baſileenſes interim, qui ad ſuam libertatem propius identidem reſpiciebant, fœdere junguntur Solodoranis & Argentinentibus in fidem mutui auxilij, ubi res ferret, coniurati, dum per id tempus gliſceret in illâ etiam urbe, inteſtina tumultuantium altercatio propter Begatos & Beginas, quas Dominicani Patres inſectabantur; Franciſcani verò non minùs acri, quàm illi, ſtudio defenſabant. Eodem anno, 2. Auguſti Electores abrogant Imperiũ VVenceſlao, cui ſuffectum Rupertum Palatinum Rheni, ſuſcepto in Italiam itinere, Baſileenſes lectiſſimo Iuventutis & Civium flore comitantur. Sed nec longa quiete frui poterat, continuata belli ſerie exercenda Civitas. Ventum rurſùs ad manus, bellum quinto Octobris indicentibus Præfectis Leopoldi IV. & Friderici Archiducum. Poſt illatas utrimq; Anno Christi 1385.

Anno Christi 1307. clades, bellicum Juſtitium utrimq; promulgatur. Pace igitur cum his recompoſitâ, mox Epiſcopi gravem incurrunt offenſam Baſileenſes, quòd ipſimet Cives contra morem maiorum, repugnante Epiſcopo & Canonicorum Collegio Senatum, & Magiſtratum pro libitu legiſſent; cauſſati, in bello Auſtriaco, haud ſatis fidelem à juratis Epiſcopi Præfectis ſe expertos fuiſſe operam. Humbertus, ne quid ſua jura detrimenti paterentur, controverſiam ad Sigiſmundi Imperatoris tribunal defert, in Concilio Conſtantienſi, anno 1417. Examinatâ cauſâ, legatus à Cæſare Rudolphus Marchio ab Hochberg Cives ad officium & ſubiectionem reducit.

1413. Anno Chriſti 1413. in Decembri agitari cœptum eſt de generali Concilio Conſtantiæ ad Acronium celebrando, quod Patres illuc convocatos

tos anno mox ſequenti magno numero abundè occupavit, nec finem vidit ante annum 1418. Qua in re deprædicare ſatis nulla poſſit ætas ſollicitudinem religioſiſſimi Imperatoris Sigiſmundi, cuius opera ſingulari oppreſſum tandem ſchiſmatis virus, & hæretica VViclefi Anglicani Zizania revulſa maturè, quæ proſeminare & latè ſpargere occœperant Anteſignani duo huius ſectæ Ioannes Hus & Hieronymus Pragenſis, vivi ambo, quia ponere contumaciam nolebant, pro merito concremati. Nemo non obſtupuit ementita hæc religionis ſimulachra, & ſplendidè illudentes ſanctorum Chriſti athletarum mimos, Inferni Ludionis artibus in hanc ſcenam Tragicam diu exercitatos. Concilium anno 1418. in Aprili finitum eſt. Vbi tandem agnitum Eccleſiæ caput Martinus V. depoſitis pſeudo- *Anno Chriſti 1413.*

Anno Chriſti Epiſcopis tribus auctoritate Concilij, reliquus, quoad fieri potuit, ſtatus in meliorem normam compoſitus eſt. Eodem tempore, meliorem etiam ex hac mortali adiit vitam Baſileenſis Epiſcopus Humbertus anno 1418.

1419. HARTMANNVS
Mônch à Mônchenſtein.
Baſileenſis Epiſcopus.
LIIX.

PLuribus quidem calculis ex ſcrutinio Canonicorum alios ſuperaverat dignitatis huius Candidatos Hartmannus à Mônchenſtein, at vero Pontifex Martinus V. virum ſenio gravem, minùs aptum fore ratus oneri ferendo, quod ille ſacer honos adiunctum habet, in Conradum Eliæ SS. Theologiæ Doctorem & Collegij Canonicorum in Concilio lega-

legatum propenſo ferebatur animo, quin & ipſum apertè ſatis Hartmanno præpoſuerat. Conradus tamen, etſi Pontificis judicium voluntatémque gratus agnoſceret, ut erat vir animo perquam modeſto & moderato, atque alienus ab ambitu ſacri faſtigij, cui præter nudum propè Epiſcopi nomen, pauca reſtarent ampliùs, ſi ad priſtinum Diœceſis ſtatum advertamus, facilè paſſus eſt ſe ab Hartmanno regendi percupido ſene induci, ut in quæſito ſplendore non officeret præclaræ ſuæ dotis obiectu, ſed proximo dignitatis gradu Archipresbyteri contentus retineret nomen. Conradus ergo voti compotem facit Hartmannum. Iſte à Martino V. Geneuæ in reditu confirmationem impetrat. *Anno Christi 1419.*

Creſcit interim minor Baſilea monaſterio Patrum Carthuſianorum, Iacobi Syboldi civis honeſto

Anno Chriſti 1419. loco nati opibus erecto. Is domi ordine Senatorio clarus, & ſupremus Tribunus plebis, authoritate non minùs, quàm opibus potens, & quod omnium caput eſt, virtute, vitæquè integritate præcellens, mortuâ coniuge, quòd hærede careret, Chriſtum inſtituit, meliori hæreditate ab ipſo donandus. Vt ergo, propagando Baſileæ impenſiùs cultui divino fortunas ſuas piè collocaret, agit cum Hartmanno Epiſcopo Iacobus, pactúſque numeratis pecuniis, locum habitationi religioſæ opportunum deſignat, & Carthuſiam denique peramœnam ad faſtigium, magnis quidem ſumptibus perducit feliciter, tempore proximi Concilij Baſ. auctam plurimùm & illuſtratam, in qua ſe ipſe denique ad ſacri illius inſtituti normam formandum Deo conſecravit, religioſiſſimæ vitæ exemplo, inſignis famam

Sancti

ſanctitatis conſecutus. Quam privatus ſectabatur in vita ſolitaria virtutem Iacobus, Hartmannus Epiſcopus, ſtudio quamvis diſpari, & in publica ſuæ dignitatis luce, perſequebatur feliciter; adeo nullum indagatorem gnavum latet, nulli non hominum conditioni obvia eſt ſanctitas. Etenim Hartmannus, ut plus otij penſo precario & animi curæ tribueret, Epiſcopatûs curas cum fidis duobus Adminiſtris partiebatur, Thuringo Mônchio Archipresbytero, & ad S. Vrſicinum Præpoſito, atque Ioanni Flaxlandio ſuis cognatis, permiſſâ ferè ipſis omni Diœceſeos curâ, dum ille frugali admodum vitâ victitans, & ab aulico luxu abſtinentiſſimus, non niſi Sacellanũ unum, coquum, & famulum penes ſe retineret. In poſtremo denique vitæ ſuæ decurſu, annuente Canonicorum Collegio, in ſucceſſionem *Anno Christi 1419.*

Anno Chriſti muneris, quo ſe abdicabat, vocavit Ioannem à Fleckenſtein Abbatem Selzenſem Ordinis Cluniacenſis. Quod factum ſummo Pontifici probatum ſimúlque poteſtas indulta Epiſcopo, annuo Abbatiæ vectigali perfruendi.

1424. IOANNES V.
à Fleckenſtein.
Baſileenſis Epiſcopus.
LIX.

ANno 1423. 29. Maij, ſtipatus quadringentis quinquaginta equitibus, Baſileam ſolenni apparatu invehitur Ioannes à Fleckenſtein. Pompam hanc præ cæteris illuſtrabant Fridericus à Fleckenſtein Vormatienſis, & Rabanus ab Helenſtat Spirenſis, Epiſcopi, uterque Ioanni conſanguinitate propinquus, in eum finem accerſiti, ut Ioanni plus aucto-

auctoritatis conciliarent: tum, ut is ope & conſilio ſubnixus, jura quędam ab aliis iniuſtè occupata aut retenta faciliùs recuperaret. Anteceſſor Ioannis Hartmannus, S. Vrſicinum, Montem Liberum, aliáque Clientelis & ditione prædia illuſtria, quæ olim Epiſcopus Humbertus oppignoraverat Comiti Neoburgenſi, repræſentato quantumvis lytro fruſtra repetiverat. Eam Ioannes ob cauſam in caſſum recidere animadvertens, quidquid amica Iuris viâ tentatum hactenus, collectis præter inſignem peditatum, ſexcentis equitibus Ioannem Thierſteinnium pręficit, & bellum inferre Comiti Neoburgenſi mandat. Comes, ubi terris ſuis armatam vim incumbere ſenſit, ne omnibus exueretur, poſt cladem aliquam, & arcium expugnationem, inducias perlibenter admittit, quibus hoſtile ferrum tantiſper *Anno Christ. 1424.*

ſper

Anno Chriſt. ſper habetet, & ipſe par referre pari interim meditetur.

1425. Anno namque 1425. ad ſigna utrimque lecti convolant exercitus, Baſileenſibus hinc ad juſſa promptiſſimis, & ſubſidiarium pecuniæ onus ab Antiſtite impoſitum pro capitum & fortunarum numerato cenſu, haud gravatè conferentibus. Burgundus inde, ut celeritate conſilia Epiſcopi præverteret & diſturbaret, aut necdum ſatis paratum obrueret, primus ferro flammáque ſævit, vindictâ flagrans & cupiditate extortas ante annum ſibi arces recuperandi. Baſileenſes eo nuncio minimè conſternati, ubi junxerunt Epiſcopi copias, oppidulum Clemont expugnant, & Elicourt, ruptis iterum, quas ambæ partes pepigerant, induciis, Novembri menſe funditus incendio delent; ſed mox anno ſequenti, delectus arbiter, Ioannes, Fri-

Friburgenſis Comes, fragilem hactenus pacem recomponit. *Anno Chriſti*

Anno 1431. Martini V. ac poſt illum Eugenij IV. mandato, Baſileenſis Concilij Præſes nominatur Iulianus titulo S. Sabinæ Cardinalis. Vigeſimo tertio Iulij in Eccleſia Cathedrali, ac tum plerique Patrum conſeſſus apud Dominicanos celebrati. Auſpicatum quidem huius Concilij adverſus illapſos errores coacti erat exordium, niſi progreſſus pudendâ audaciâ, & inſana temeritate, ſedis Romanæ dignitatem omni humanâ maiorem, ut ſibi ſubiectam proculcâſſet, atque adeo in monſtroſi Conciliabuli ſpeciem turpiter degenerâſſet. Bononiam evocârat Eugenius collectos Baſileæ Patres, tranſmiſſâ ipſis 12. Novembris bullâ, ut commodiùs viciniore loco res controverſæ agitarentur. Pontificis litteris poſthabitis, in æde Cathedrali 1431.

Anno Chriſti 1431. thedrali 14. Decembris primùm conſident. Primum rurſus urget mandatum Eugenius, minas addit fulminaturi anathematis, ni pareant, & inclinent ſacræ ſedi pervicacem voluntatem. Perſiſtunt illi tamen in ſua obfirmati cotumaciâ, detrectant imperium, audent, ſcelus toti poſteritati abominandum! Pontificem ad dicendam cauſam citant, in jus vocant; adeo creverat eorum arrogantia omnes modeſtiæ limites prætergreſſa. Et quamvis Imperator Sigiſmundus (quo fulcro ſpes illi ſuas unicè firmabant) à ſuſcepto propoſito nefario deterreret, ſuaderet amica publicæ tranquillitatis ſtudia, dehortaretur valentiſſimis rationum momentis ab imminenti periculoſiſſimo ſchiſmate; illi tamen, ne lato quidem ungue, ab impio ſenſu diſcedunt; non eſſe Pontificis dare Concilio leges, ſed

ab

ab eo accipere, ſe agnoſcere ſuperiorem neminem, eminere ſupra omnes, poteſtatis amplitudine nullis circumſcriptâ terminis. Hæc aliáque id genus, plauſibili retinendæ auctoritatis ſuæ ſchemate, protervè nimis credulæ plebi, religionis fucô illudebant, ſuperciliosâ inſuper ac intolerabili impudentiâ Sacræ tiaræ abrogationem Eugenio graviter comminati. Sed bruta erant hæc debilium nimis Titanum fulmina, quæ ferebantur infrà, nec ſummitatem Pontificiam poterant attingere. In hac rerum perturbatione Sigiſmundus, annum jam integrum verſabatur in Italia, atque, ut malo præſentaneum aliquod abhiberet remedium, ſcriptis Viterbio litteris decimo Maij anno 1432. Baſileæ convocatos Patres ſeriò commonefacit, ne quid inconſultò aggrediantur, antequam ipſe cum Pontifice *Anno Chr. ſti 1431.*

Ro-

Anno Chriſti 1431. Romano mitiorem reconciliationis viam iniiſſet. Romam itaque profectus, & poſt coronam ab Eugenio impoſitam, Baſileam rurſus ex Italia redux 2. Octob. primam habuit ſollicitudinem. ut peſtilens damnandi Pontificis averteret conſilium, dum menſis lapſuri ſpatium melius quid retegeret. Eugenius perpenſo maturè lubrico Eccleſiæ ſtatu, quamvis in ſontes animadvertere meritiſſimâ æquitatis ſeveritate potuiſſet, animis tamen exulceratis oleum applicat, ne aceto infligendarum pœnarum ad exitium uſque proritarentur. Minas itaque ponit, bullas publicatas revocat, Concilium Baſileenſe probat, Concilij Præſides legit Iulianum S. Sabinæ, Iordanum Sabinenſem, Petrum Albanenſem, Nicolaum S. Crucis in Hieruſalem & Angelottum S. Marci Presbyteros Cardinales cum aliquot Italiæ Epiſcopis.

ſcopis. His igitur, ſed non niſi poſt acerbas diſſenſiones admiſſis, auditi Boëmorum Græcorúmque legati. Interim Ioannes Epiſcopus Baſileenſis apoplectica membrorum hebetatione extinguitur 20. Decembris, 1436. & funebres ipſi exequias honorificentiſſimè perſolvunt Concilij Patres. Is fuit Princeps, ſi alius, de Epiſcopatu præclarè meritus, qui divulſas arces Spiegelberg in Monte libero, Goldenfels, Iſtein & Pyrſeck in ditionis complexum revocavit. Numeraverat etiam pecunias redimendo caſtro Kalenberg Comiti à Villari ob æs contractum oppignerato; nec multo, poſt mortem Ioannis, exacto tempore, id pretium perſolutum eſt. Illam verò pecuniarum vim & opum copiam, Ioanni comparaverat, victus moderatio, exiguus culinæ focus, famulorum nullus penè numerus, quantumvis

Anno Christi

1436

Anno Chriſti ob Decretum Concilij ſeſſ. 21. ſeſquianno, conſuetis in Confirmatione beneficiorum Annatis, hoc eſt, annuis Epiſcopatus ſui reditibus caruiſſet.

FRIDERICVS II.

1437. Ze Rhein.

Baſileenſis Epiſcopus.

L X.

NVmeratis Canonicorum ſuffragiis, haud multò inferior Friderico Burcardus à Rathſamhauſen, dubiam propè fecit electionem: ſed inclinatus Patrum Concilij votis & rogatu, deſtitit prenſare dignitatem, quam viciniore gradu jam propè tenebat Fridericus, ab Eugenio poſtea 2. Martij 1437. confirmatus. Circa id ipſum tempus, Baſileam appulit Græcorum Legatus Ioannes Diſſipatus, & expoſitis palam

lam, quæ in mandatis habebat, aliquam Italiæ Civitatem Patrum Concilio, aut ſuæ nationi ob minorem longinquitatem accommodatiorē deſignari poſtulat. Auditus eſt, ut par erat, patienter ab omnibus, at ſtudio recrudeſcentium factionum diverſiſſimo. Percepta Eugenij Pontificis voluntate, qui aderant legati, etiam ſponte ſua Diſſipati poſtulatis annuebant. Ceteri ferè loci mutationem nequaquam ferebant. En, novuum denuò Patres inter & Eugenium diſſidium. Ille, ne ſua ulteriùs vileſceret, & contemptui manifeſto exponeretur authoritas, bullam expedit 18. Septemb. quâ Patribus, Ferrariam ad Synodum Oecumenicam quantocyus ſe conferant, ſeverè mandat; ac, niſi refractarias cervices ſacræ ſedi inflectant, ſolennes diras imprecatur, & ſuis omnes exuit beneficiis. Schiſ-

Anno Chriſti 1437.

Anno Chriſti 1437. matici Pontificias aſpernati diras, ut inanes minas, in nuperum relapſi crimen, Pontificem minaciter citant, accuſant, damnant, officio interdicunt. Indoluit orbis Chriſtianus, tot præſtantiſſima membra à ſuo revelli capite, nobiliſſimúmque Eccleſiæ corpus, ſuperbis huiuſmodi ſeditionibus turpiter adeo mutilari. Baſileâ diſcedunt, qui ſanioris mentis erant & jubentem Chriſti Vicarium abſque cunctatione venerabundi ſequebantur. Et Ioannes quidem Palæologus ac Græcorum Patriarcha Ferrariam perveniunt.

Sigiſmundus Imperator tantis Eccleſiæ malis & calamitatibus immoritur, ad quietem Dei beneficio maturè vocatus, ne plures turbas uſque ingruentes ſuis mœſtus ſpectaret occulis in communi Eccleſiæ luctu. Demortuo inferias ſolvit Baleæ funetariâ pompâ viſendus Patrum

trum

trum Cœtus. Francofurti verò habita Comitia Albertum II. Auſtrium Sigiſmundi generum Imperij clavo adhibent. *Anno Christi 1437.*

Vindictam Numinis luculentam hoc anno ſenſit Baſilea, famem, peſtémque, irrogatam nequiſſimæ factioſorum ſchiſmaticorum perduellioni; quæ pœnæ gravitas, & culpæ tantæ participes inprimis, ac inſuper inſontes ipſos neceſſitate quadam involueret. Sæviente igitur contagioſâ lue efferuntur multi, multi ad puriora domicilia & aëris ſalubritatem dilabuntur. Plus animi, ſeu potiùs audacis temeritatis fuit illis, qui vitam citiùs, quàm pertinaciam ſuam ponere coniuraverant. Hi triginta numero, Epiſcopi 12 quos inter Fridericus Baſileenſis, Abbates reliqui, aut ſcientiarum laude conſpicui Doctores, ſecuti Cardinalem Arelatenſem Concilia-

Ann. Chr. 1439. buli Præſidem, frontem perfricant, & excuſſa quâ in Eugenium obſtringebantur, veneratione, Amedeum Sabaudiæ Ducem Pſeudo-Papam ſibi præficiunt, Felicis V. nomine nuncupatum, Erat hic Amedeus Sabaudiæ Comitum primus, Ducis titulo in Synodo Conſtantienſi condecoratus. Thoro legitimo copulatus liberos ex Margarita Philippi Burgundiæ Ducis filia ſuſceperat, antequam ſolitariæ quietis deſiderio illectus Cœnobium Rippalienſe ad oram Lemanni Lacus è regione Lauſannæ, opportunum ſuæ ſolitudini locum accommodâſſet. Mortuâ igitur coniuge perquam religioſè vivens, ſacris necdum initiatus, viſus eſt è multis unus, qui capitis dignitatem in monſtroſo Concilio ſuſtinere poſſet maximè, & ſanguinis & ſanctitatis pervulgatæ quodam faſcino. Mittuntur hunc in finem

finem legati, Ludovicus Cardinalis Arelatenſis, Fridericus Epiſcopus Baſileenſis, plures alij Epiſcopi, Abbates & Doctores. Amedeum nil tale cogitantem occupant, Patrum in ipſum conſpirationem explicant, apicem honorum ſupremum deferunt minimè reluctanti. Prodit ille ex ſuis obſcuritatibus ad publicam lucem Felicis V. nomen uſurpans; ſive, veriùs in ſcenam theatralem brevi ludo prodituruſ infelix Pontifex. Hæc dum fierent Baſileæ, moritur Albertus Imperator in Hungaria 27. Octobr. anno 1439. ſuccedit Fridericus III. Erneſti Archiducis Auſtriæ filius, & Imperij decora Aquiſgrani accipit. Anno 1441. poſtquam annus prior celebris poſteris fuit arte Typographica, quam excogitavit Ioannes Gensfleiſch, aliàs Gutenberg, Argentinenſis, quanquam jam ante Chriſtum natum *Anno Chriſt 1437.*

Anno Christi 1437. apud Sinas in uſu fuiſſe, teſte Nicolao Trigautio perhibeatur lib. 1. c. 4. Exped. Chin. Nec minore pompa Felix Antipapa, ipſa Prodromo Chriſti ſacra die, cum Comite Geneuenſi Philippo filio ſuo, & ſplendida Sabaudiæ Nobilium caterva, Baſileam invectus, acclamatione feſtiva à Civibus & Prælatis obviam effuſis excipitur. Quibus intellectis Eugenius, in infligenda pœna, dum Patres in culpa, perſiſtit, è fidelium conſortio, ſacrorúmque communione rebelles exſcindit; Concilij decreta in eligendo Felice, ut inane irritum, & contra Deum attentatum opus improbat; Felicis & aſſeclarum impiè patrata facinora ſolenni formula damnat, & execratur. Felix in profundum fanaticæ dignitatis chaos prolapſus, contemnit, verboſam Eugenij punitionem ridet, & ipſe (pantomimum diceres,

Apo-

Apoſtolici faſtigij) Purpuratos Patres legit, Eccleſiaſtica confert munera, officia diſtribuit. Romam denique alteram ſe credit Baſilea, ſed eo Roma inferior, quòd Cœlum huiuſmodi turbulentis novitatibus penitus infenſum haberet. *Anno Christi*

1442. Anno 1442. Baſileenſes, Solodoranis & Bernenſibus novo fœderis ad 20. annos durabilis junguntur vinculo. Tigurinorum amicitiam non reſpuunt Auſtriaci, præſente Friderico Imperatore, qui Tiguro per Ergoviam, Burgundiámque, delatus. Baſileam, cum Felice quidem longa confabulatione egit: verùm, nec Felix, nec Acta Concilij Friderico placuerunt. Eo reverſo Conſtantiam 16. Novembris, Antipapa die ſequenti cum ſectatoribus ſuis, quatuor Cardinalibus, aliiſque Patribus Baſileá Lauſannam abſcedit.

Anno Chriſti 1443. Anno 1443. Helvetij Tigurinis infeſti bellum inferunt, vicos exurunt, agrum Tigurinum direptionibus vexant & violant. Inde Baſileenſes Liuffenburgum obſidione cingunt. Verùm, Epiſcopi Baſileenſis aliorúmque Principum ſtudio, delinitis utrimq; animis, oppugnatione intermiſſa, ad ſua miles revertitur.

Sed necdum per eam pacem Tigurinis factum ſatis: ægriebant adhuc animi, & vindictâ flagrabant in Helvetios, poſita ante oculos expilatæ ditionis ſuæ vaſtitate. Sollicitant igitur ad opem ſibi ferendam Auſtriacos, quos ſcirent jam antè illi genti ſuboffenſos. Sua Tigurinis conſilia ſuccedunt. Sigiſmundus Archidux tranſmiſſis clam litteris ad belli contra Helvetios redordiendi ſocietatem vocat ſocerum ſuum Galliæ Règem Carolum VII. Regis Gallorúmq; animos ad bella prom-

promptos & expeditos permovere, *Anno Chriſti 1443.*
operoſum non fuit: primis exorati
precibus, triginta equitum millia
convolant. Cum his in ſpem rei
gerendæ & opimæ prædæ Rex, filiúſque, Ludovicus IX. poſtea regni
ſucceſſor, Baſileam rectà petit, reliquam inde invaſurus Helvetiam.
Vbi rumor increbuit adventare Gallos tanto exercitu, quem ante Ioannes Comes in Armignac (is eſt Toloſanæ Provinciæ Comitatus) copiarum Præfectus duxerat, trepidi,
credo, agreſtes & è vulgo paſſim,
jam adeſſe præ foribus clamitabant
formidandos *Armen-iácken*, corruptô lepidè à Germanis Gallico vocabulo *Armignac*. Et certè hi *Armeniácken* cruentam, Paulo Æmilio
teſte, Helvetiis cladem non procul
Baſileâ intulerunt, deletis illorum
ad internecionem quatuor millibus.

Ea

Anno Chriſti 1443. Ea victoriâ ovantes Gallos, omiſſis Helvetiæ montibus, fertilis Alſatiæ planities, ad opimiores invitat prædas. Converſo igitur curſu in amœniſſimam ruunt illi regionem, legunt id omne cui fecit pretium militaris cupiditas, trophæúmque victoriæ ſuæ ſtatuunt, læti patriam reviſuri. Liberati Gallorum diſceſſu Baſileenſes, incentores belli Auſtriacos Nobiles & Præfectos, novo ipſi adoriri bello ſtatuunt, quorum ſcilicet ope miles exterus in patriæ excidium & Helvetiæ ruinam evocatus fuiſſet. Intra verba non ſteterunt minæ, ſævitur armis hoſtiliter, volant ſigna per Alſatiam & Sundgoiam. Sed ira nunquam vehementior, quàm adverſus pagos, villas, tuguria & Cœnobia, omni præſidio ad vim ſuſtinendam deſtituta: hæc enim implacabiliter incendio concremavit. Ita fieri amat, ut agreſtis

greſtis ac imbellis turba luat, ante *Anno Chriſti*
alios, quod peccauit tutis recepta locis potentiorum licentia. Poſt occupatam Rheinfeldam, exuſtum Cœnobium Monialium in Othmarsheim, quo loco Neronis & Galbæ ſucceſſor Otho, Marti templum olim extruxiſſe fertur: unde & nomen inditum *Oth-marſ-heim*.

Anno 1446. Ludovicus Palatinus 1446.
Rheni, Elector Moguntinus, aliíque Principes, auditis utriuſque partis legatis pacem conciliant. Redintegratâ pace, mox reliquias Pſeudo-Synodi Baſileenſis, quam bellum, fames, ac peſtis ad piorum vota diſturbaverat, Antipapa Felix colligere toto virium niſu laborat. Sed cùm anno 1447. 23. Februarij, Eugenio mortalibus erepto ſuffectus legitimè fuiſſet Nicolaus V. Fridericus, ſparſis quaquaverſum litteris, Nicolaum promulgat, eundémque, man-

Anno Chriſti 1446. dat, graviſſima pœnarum commi-natione refractariis indictâ, omnes unà ſecum & Imperij Principibus debita ſubmiſſione proſequantur. Edicit ſigillatim Baſileenſibus, ſapi-ant idem, Felicem impoſterum & Concilium adulteratum quantocy-us deteſtentur. Aegrè admodum parebant Baſileenſes, & quàm pote-rant lentiſſimè Imperatorium decre-tum exequi ſtudebant. Moroſâ hac tergiverſatione perſpectâ Fride-ricus urget iterum, iterúmque men-tem ſuam inculcat anno 1448. ine-unte Eſuriali verno tempore, fratri-que Alberto ſimul imperat, ni pare-ant confeſtim Epiſcopus ac cives, omni commeatu ipſos intercludat. Denique, cum nec ſic proficeret quidquam, contumaces ad ſupre-mum Imperij tribunal citat. In Stiriam legatos ſuos ire jubent Epi-ſcopus & Civitas, ne totum adverſus

ſe

ſe inſurgeret Imperium. Epiſcopus quidem Ioannem Gemminger ſu- um in Criminalibus judiciis Officialem, (ut vocant) Civitas Hartmannum legationi præficit. Eam demum illi ab Imperatore tulerunt ſententiam: ne quem Prælatorum obvelato quocumq; prætextu Concilij, in urbe deliteſcere ſinerent; ſed quamprimum ipſos eliminarent. Acceptâ mitiore, quàm ſperabant, ſententiâ Cives, nulla mora interpoſitâ, ex urbe exeſſe jubent, & Lauſannam verſùs honorificè dimittunt ſeditioſa capita. Lauſannæ pauci, qui ſupererant, Antiſtites, ne Concilij nomen exſpiraret, impiatum cœtum adhuc cogere pergunt, ſimúlque diris devoti conferunt aliquoties, donec Felix anno ſequenti 1449. obortâ luce reſipiſcentiam ſeriò cogitat, obnunciare ſcilicet acceptato, vel retento per immaturam impruden-

Anno Christi 1416

Anno Chriſti 1446. dentémque levitatem honoris titulo, quem in alio jam revereretur totus penè orbis, ad exemplum Cæſaris, Regum Franciæ, Angliæ & Siciliæ compoſitus. Permotus itaque reſtituendæ facile pacis ſtudio, VII. Idus Aprilis, poſt tot tantoſque tumultus per ſe excitatos, receptui canit, & in priſtinum Rippalienſem receſſum ſe rurſus abdit, galero Cardinalis, Nicolai dono contentus, ac legati titulo in Tranſalpinas Provincias & Epiſcopatus Lauſannæ, Baſileæ, Argentinæ Conſtantiæ, Curiæ, Seduni, poſt aliquot annorum vitam emendatione ac pietate religioſiſſimâ tranſactam ſanctè obiit. Poſtquam iſta tranquillitas Eccleſiæ tot calamitatibus empta fuerat, Ioannes Gemminger Romam ablegatus ut Epiſcopi & urbis verbis obedientiam Nicolao Pontifici in media Purpuratorem Patrum corona jura-

iuraret, quia mandata ſibi iniuncta praetergreſſus eſſe viſus eſt, poſt reditum ſuum Byrſeci primùm, ac Baſileae deinde in carcerem miſſus eſt. Anno Chriſti

Anno 1448. 22. Octob. Guilielmus à Grieneberg, quorundam nobilium opera adiutus Rheinfeldam invadit. Hinc iterum exſuſcitata pagorum incendia & mutuae cum Baſileenſibus clades, quibus acceptis relatiſque, Pax iterum ſuas obivit vices, compoſita Briſaci, anno 1449. ſub veris initium. Baſileenſis Epiſcopi Friderici & Iacobi Badenſis Marchionis operâ, in has videlicet conditiones: ut Rheinfelda ſacramentum praeſtaret Auſtriacis, & Baſileenſes Alberto Archiduci quatuor florenorum millia ad Divi Ioannis, & viginti duo millia ad D. Matthaei, nullo exacto cenſu mutua concederent, fide integrâ poſt certos temporis limites reſtituenda. 1448.

Anno Christi Anno 1451. die 5. Ian. Fridericus Baſileenſis Epiſcopus è vivis ſublatus ſedem alteri vacuam reliquit, in Cathedrali templo humatus.

ARNOLDVS

à Rothberg, SS. Theol.

1451. Doctor.

Baſileenſis Epiſcopus.

LXI.

ARnoldū à Rothberg Canonicorum Baſileenſium jam ante Decurionem, 19. Ianuarij anni 1451. legitimis ſuffragiis ad Infulam vocatum ad ferias Pentecoſtes conſecrârunt Epiſcopi tres, Conſtantienſis, Argentoratenſis, & Vormatienſis. Petierat à Nicolao V. ſibi jus indulgeri exigendi pecunias pro diplomatico ſignatorio & Epiſcopali tabulario, adiunctis etiam vacantium beneficiorum per Diœceſin primitiis, quæ

quæ Baſileenſe Concilium ſuſtulerat. Reſpondit Nicolaus prudenter: ſi æquum eſſet, quod poſtulabat Arnoldus, opus non eſſe diſpenſatione ullâ: ſin minus, id neutiquam à ſe decenter permitti poſſe aut debere. Arnoldus in ſuum commodum interpretatus Pontificis ambiguum reſponſum, petita liberè exigit; quandoquidem ſilentium Pontificis ſat videretur indicare, quod decretum Concilij nullam obligationem induceret. Eo verò colligendi pecunias ſtudio collimabat Arnoldus, ut ædes Epiſcopales, aliáque ædificia ruinam minitantia inſtauraret. Quo perfecto opere nundinarium forum hactenus frequentatum quotannis ad D.V. natæ & Dedicationis, pro foribus templi abſque ulla ſacrorum reverentia, in alium tranſtulit locum. *Anno Chriſti 1451.*

Subinde in Italiam profectum

Anno Chriſt 1451.

Fridericum Imperatorem maximo hominum numero, Baſileenſes Nobiles decem honorarij comitantur, celebri ritui præſentes futuri, quo Pontifex ad aram Divi Patri, Imperatori & coniugi coronam impertiet.

Circa hoc tempus, Mahometes Turcarum Tyrannus, Mahometicæ, ex quo cœperat, ſectæ, anno 857. occupata Conſtantinopoli, Conſtantinum Palæologum Imperatorem cum quadraginta Chriſtianorum millibus immanitate barbara contrucidat, alterúmque Aquilæ caput præſcindit. Ea clades, ut creditur, Nicolao V. mortem accelerauit, anno 1455. Alphonſus Borgia Calixtus III. appellatus breviſſimo tempore ſe Pontificem circumſpexit, ac ſi Pontificatus præceps ad mortem decurſus ipſi fuiſſet. Alphonſum ſecut⁹ eſt in Pontificatu Æneas

ſilvius

Silvius Piccolomineus, patria Senenſis, mutato nomine cum vitæ conditione, Pius II. Is Cõcilio Baſileenſi poſtquam interfuit, legatus ad Fridericum Imperatorem miſſus, quia ſcientiarum inſigniſſimâ peritia, in paucis clarus, ita gratus Cæſari accidit, ut eum Poëtam Laureatum pronunciaret. Atque ut ipſe de litteris & litteratis præſtanter eſt meritus, ita rem Chriſtianam validiſſimis contra Turcas expeditionibus inſtauráſſet, ſi Principes Europæi ſanctis eius conatibus obſecundáſſent, in quibus ipſe ante belli Turcici initia vitam poſtea finiit. Sed & Arnoldus Baſileenſis, valetudinis imbecillæ, ut ſomni quietem caperet nocturnam, lectum petierat, & ſupremum obdormiiſſe ſomnum repertus eſt 7. Maij 1458. ætatis 64. magno Civitatis gemitu ſepultus in ſacello templi Cathedralis Baſileenſis, ubi hodieq; *Anno Christi* 1451.

Anno Christi 1451.

eius cernitur epitaphium. Manuſcriptum in tabulario nobilis Domini Beati à Reynach repertum in hunc ſenſum, Arnoldi obitum refert. Poſt exactum in Epiſcopatus curatione ſeptennium, ſeptimo Maij, pridie Aſcenſionis, ſpontaneo ſe maceraverat ieiunio pius Princeps. Cumque ſub noctem quæſita in lecto quies refugeret oculos, & ægrum corpus, difficiles reciprocans anhelitus, è ſtrato proſilit ad auram liberiùs captandam, ſuo à cubiculis famulo præmonito, ne ipſe in ſui gratiam cuiuſquam ſomnum abrumperet. Verùm, cum nec ſic remitteret fluida in fauces ac pectus humorum copia, quibus dudum conflictabatur, intercluſo ſpiritu, poſt invocatam ſenſu tenerrimo Deiparę Virginis opem, animam exhalat, non relicto Aulicis ſpatio, ut morienti ſuo Principi ultima exhiberēt officia.

IO-

Anno Chriſt. 1458.

IOANNES VII.
à Veningen.
Baſileenſis Epiſcopus.
LXII.

IOanni à Veningen, qui electus 15. Maij, 1458. Baſileenſis Academia plurimum debet, ſingulari ipſius erecta ſtudio & à Pio Secundo approbata Mantuæ 1459. & ultimo Decembr. anni 1460. Pontificiam Bullam, atque Conſulis oblatam manu, in æde ſacra, Ioannes Epiſcopali maieſtate, ſacriſque veſtibus decorus ante aram conſidens acceptat: tum diſertâ oratione habitâ, Georgium ab Andlo Præpoſitum Cathedralem, primum Rectorem Academicum inſtituit, ſibíque Cancellarij munus vendicat. Senatus deinde Baſileenſis ea jura ſtudioſis & privilegia confirmavit, quibus Academiæ

Anno Chriſti 1458. Bononienſis, Pariſienſis, Colonienſis, Heidelbergenſis, Erfordienſis, Lipſienſis, Viennenſis hactenus frui conſuêverant. Exempti præterea ſtudioſi ab omni tributi onere, foróque Civilis Magiſtratûs, cetera ipſorum curâ & poteſtate Rectori Academico relicta. Vt verò Academiæ huius perennitati abundè proſpectum eſſet, plures Canonicatus à variis abiunctos Eccleſiis, eidem Academiæ aſſignavit Pontifex: duos quidem Eccleſiæ Cathedralis; duos item S. Petri Baſileæ; quintum, Tigurinæ Eccleſiæ; ſextum, ex S. Vrſi æde Solodori; ſeptimum ex S. Mauritij in Zoffingen; octavum ex S. Martini Colmariæ; ultimum denique ex S. Vrſicino.

Bono tandem rei Oeconomicæ ſucceſſu auctior factus, & jam ſat nummatus Epiſcopus, utiliter, quæ collegerat, impendit variis per Diœceſin

ceſin locis renovandis, pretio quinquaginta millium florenorum. Nec minima laudis pars fuit, Bruntrutum à Comite Monbelgardenſi redemiſſe, arcémque à fundamentis, pleráque quam nunc cernimus ſtructurâ exædificâſſe. *Anno Christi*

1466 Anno 1466. Sigiſmundum Archiducem Auſtriæ, ubi ludicris exercitationibus ſat recreâſſet Baſileenſium urbanitas, Epiſcopus Ioannes comitari voluit, cum eo Argentoratum uſque profectus, eâ mente, ut negotia litigioſa componeret inter Palatinum, Marchionem Badenſem & Comitem VVirtembergenſem, quos prælio victos Palatinus in captivitate detinebat.

Anno 1468. exacerbati contra vicinos Nobiles Mülhuſiani, per fœdus ictum cum Bernenſibus & Solodoranis, meditato bello præludunt: ac tum exercitum ex 14. Hel-

Ann. Chriſti 1406 vetiorum, ſibi maximè, fœderatorum millibus conflatum in Sundgoiam Alſatiámque inducunt. Poſt exuſtas arces aliquot & pagos (quæ tum temporis deteſtanda bellandi ratio erat uſitatiſſima) obſidium VValdshuto admovent, donec ad ſolvendam urbem appropinquante cum exercitu Sigiſmundo, Palatini, Epiſcoporúmque Argentoratenſis, & Baſileenſis interpoſitâ fide, ita tandem conventum utrimque, ut Helvetiis pro belli ſumptibus decem florenorum millia numerarentur. At Sigiſmundus Archidux in longinquum proſpectans, prudenter veritus, ne arduum ſibi deinceps cum bellicoſa gente negotium foret, & eas ditiones retinendi difficultas, cùm arreptæ de lana caprina tricæ mille belli recrudeſcentis anſas obviam habeant, ſtatuit poſt maturam deliberationem, Comitatum Pfirtenſem

tenſem, Alſatiam Briſgoiam cum *Anno*
Sylva Hercynia oppignorare (cum *Chriſti*
pacto tamen liberæ redemptionis)
Carolo Pugnaci Burgundiæ Duci,
cuius potentiam armorúmque felicitatem irritare, inconſultum judicarent Helvetij. Vbi Principum mutuus adfuit conſenſus, anno 1470. ineunte Iunio, incolæ ſacramentum dicunt Comiti ab Hochberg, abſentis Caroli vices tenenti, novúſque his ditionibus conſtituitur Præfectus, Petrus ab Hagenbach. 1470.

Anno 1471. Nicolaus de Rupe Subſylvanꝰ in Helvetia, relictâ patria, prope Leucoſtabulum, in Rauracis ſtabilem collocare ſedem decreverat: divino tamen monitu in patriam regreſſus, quam veteres ſanctitate celebratiſſimi Anachoretæ ducebant vitam, inſtituit, in ſolitudine & ſocietate ſanctitatis exemplar admirandum, abſtinentiæ non humanæ

ſed

Anno Chriſti 1470. ſed Angelicæ prodigium, ut qui poſt cibi Euchariſtici guſtum, viginti annis omnem alium humanum cibũ nauſearet. Sed & aliis miraculis, ac vaticiniis patriam, totámque Helvetiam illuſtravit.

Anno 1471. Fridericus Imperator Ratisbonæ Comitia indicit, ut in hoſtem neceſſariũ Turcam junctis totũ Imperium ferretur viribus. Ioannes Epiſcopus in communi cauſa ne ſuis deeſſet partibus, Ratisbonam & ipſe unà cum Baſileenſi Conſule Ioanne à Bârenfels properat, interfuturus Comitiis, quorum tamen operoſa illa conſultatio in fumum inanem evaneſceret.

Anno 1473. Fridericus Imperator compoſitis cum Palatino negociis, iter per Briſgoiam faciens, à Baſileenſibus per urbis Conſules & Nobiles aliquot viros officioſè invitatur. Cæſar ea captus humanitate, ſe mox

adfore

adfore condicit. Erant in ipſius comitatu Maximilianus filius, Adolphus Elector Moguntinus, Veſontinenſis Archiepiſcopus, Eraſmus Eichſtadianus, Albertus & Ludovicus Bavariæ Duces, frater Imperatoris Turcarum, legatus Pontificius, & Caroli Ducis Burgundiæ legatus &c. præter longam ſexcentorum equitum appendicem. In urbis conſpectum ubi ſe dedit tantorum hoſpitum ſplendor, Epiſcopus cum Clero obviam procedit, cantúque ſolenni, in Cathedrali Eccleſia ſalutatum, in ſuum palatium Cæſarem deducit. Poſtridie cives munera Friderico Imperatori offerunt non ſpernenda: aureos mille in ſcypho deaurato, centum avenæ ſaccos, quindecim vini dolia. Maximiliano filio in cratere argenteo quingentos aureos, avenæ ſaccos quinquaginta, quinque vini dolia. Quibus

Anno Chriſti 1470.

Anno Chriſt. 1470. bus donis animum ſuum in Cæſaream domum conteſtati, fortunatum ipſis adventum bene precarentur. Poſt honoris mirificas ſignificationes, diſceſſum Cæſaris Petrus ab Hagenbach, & ipſe Dux Carolus cum equitum manipulo proſecuti ſunt. Qua Dux occaſione mentionem ingeſſit nuptiarum filiæ Mariæ Burgundiæ hæredis, & Maximiliani Principis Auſtriaci. Petebat ad hæc ab Imperatore, ut ſe Regem Burgundiæ, Imperiique Vicarium promulgaret. Fridericus, qui Caroli pernôſſet ingenium, ambitionis inmodicum, & à quo nihil admodum alienum eſſet, per has nuptias viam ſibi ſternere ad Imperatorium diadema, diſſimulato reſponſo, & inſalutato Duce, clàm navi conſcenſâ dilabitur. Carolus repulſam hanc paſſus, numeratis quinque millibus equitum, ſub ipſas Natalitias ferias,

in

in ſuam pergit Burgundiam, luſtra- *Anno*
turus inde Alſatiam & oppignoratas *Chriſti*
ſibi ditiones. Solum Pugnacis nomen, ob maximam ſanè potentiam & fortunam ſupra ætatis ſuæ Principes faventiſſimam terrori erat. Et quem amabant pauci ambitione inſoleſcentem, officioſa tamen neceſſitate ſalutabant omnes paſſim. Briſaci certè, tantiſper agentem legati Principum, Civitatúmque haud parvo affluxu conveniunt, Epiſcoporum quidem Spirenſis & Baſileenſis, Principúmque Badenſis Marchionis, & Palatini. Paucis pòſt
diebus 3. Ianuarij 1474. Monbel- 1474.
gardo Veſontionem contendit, liberatâ metu per eius diſceſſum viciniâ. Interim Caroli nomine, ditionum oppignoratarum Præfectus ab Hagenbach impotenter in dies magis ac magis imperitans, tyrannicâ ſævitie ſubditos premebat. Querimo-

nias

Anno Chriſt. 1474 nias illi apud veterem Dominum Sigiſmundum Archiducem deponunt. In miſeros commiſeratione tactus Archidux, malo remedium quærit, fœdus cum Helvetiis, Epiſcopis, Argentoratenſi & Baſileenſi, Civitatibus Argentorato, Baſilea, Colmaria, Seleſtadio &c. ut viribus & animis conſociatis, communem hoſtem propulſarent, ſi quid molitur. Ita ſubſcribunt 25. Martij Conſtantiæ, & mox Archidux per tubicines Carolo ſignificat, paratum ſe octoginta florenorum millia, ob acceptum ditionum ſuarum pignus (quas intolerabili jugo preſſas repeteret) repræſentare, ſi ſuos Carolus quamprimum abduceret præſidiarios, & præfectos amoveret. Neutrum præſtitit ille, ſed irâ efferveſcens, tubicines in cuſtodia aliquandiu detineri præcepit. Sigiſmundus interim ſuarum ditionum inco-

incolas ſacramento Duci Burgun- Anno
diæ præſtito exſolvit, liberos pro- Chr.
nunciat, & quod ipſi optabant, no- 1474.
vo jurejurando fidem ipſi ſuam obſtringunt. Petrus ab Hagenbach gravium ſcelerum reus, capite minuitur. Fortunâ ſuâ & potentiâ hactenus inconcuſſâ fretus Burgundus bellum denunciat Sigiſmundo & fœderatis ipſi Helvetiis, extremum ſibi & fatale. Primos impetus & bellicum furorem inſtructiſſimi exercitûs Granſonium oppidum ad lacum Neoburgenſem ſitum excepit; ſed qui Helvetiis deprecantibus aures ſurdas & inexorabiles præbuerat, immenſam pecuniæ vim primo fugatus prælio, ſecundo ad Moratum dare manus victas, tertio denique ad Nanceium vitam ponere debuit, Helvetiis opportunè Renato Lotharingiæ Duci ad victoriam plurimùm conferentibus. Vnde,

Anno Chriſti 1474. Caroli adverſam triplici caſu fortunam vetus illud & vulgatum diſtichon expreſſit.

Oppida trina tibi Dux Carole dira fuerunt
In nummis Granſon, grege Murten, corpore Nancey.

Baſileenſis Epiſcopus, ut durante triennali hoc bello adverſus Burgundorum incurſiones tutus eſſet, in arce & oppido Bruntrutano, firmo munitus præſidio ſe continuit, donec vertente anno 1476. acturus de communi pace cum Apoſtolico Nuncio, ſuam reviſit Baſileam. Confecta ibi pacificatio, Archiepiſcopi Veſontinenſis interpoſitu, inter Comites Blamont & Epiſcopum Baſileenſem, qui ditionem Comitum jure belli occupârat. Blamont Comitibus reddita. Reliquæ

quæ arces Metſch, Franquemont & Trilleberg, in poteſtate Epiſcopi retentæ. His denique aliiſque poſt bellum actis, morbo correptus paucis ante Natalem Domini diebus animam egit, Bruntruti in ſua arce, anno 1478. annorum viginti Epiſcopus. *Anno Chriſti*

Cadaver ipſius, ut ipſe vivus teſtamento fieri mandaverat, Baſileam deportatum eſt, ad ipſum chorum templi Cathedralis inhumandum.

CASPARVS Ze Rhein. 1479.

Baſileenſis Epiſcopus. *LXIII.*

ANno ætatis 46. Caſparus Ze-Rhein Epiſcopum induit, 4. Ianuarij, Anni Chriſtiani 1479. lectus à Canonicis, & Pentecoſtes die, feſtivo apparatu inauguratus ab Epi-

Anno Chriſti 1479. ſcopo Tripolitano, Nicolao, Pro- epiſcopo Baſileenſi, in magnifico conſeſſu Ioannis Ortvvein Vicarij Argentoratenſis, Davidis Zender Vicarij Conſtantienſis, Abbatúmque S. Blaſij & Lucellenſis.

Poſt admiſſum Epiſcopi munus, primas inter curas fuit Caſparo expedire tricas in Parthenone Clingenthalenſi minoris Baſileæ, nuper excitatas. Sixtus IV. Pontifex in mandatis dederat Iacobo Stubachio Præpoſito Provinciali Dominicanorum, ut huius Monaſterij vivendi rationem, ampla cum poteſtate corrigeret. Ille negotium iniunctum ſibi accuratè explere incœperat, & en, Moniales diſciplinæ rigidioris impatientes, tumultus cient, propinquorum opem & patrocinium implorant. Vt aliquid querulo ſexui daret Pontifex, amoto Iacobo, lectiſq; aliis judicibus, ſubſcribente

Ba-

Baſileenſi Epiſcopo, querimoniis modus & tumultui finis imponitur anno 1482. *Anno Chriſti*

Anno Chriſti 1493. Maximilianus I. ſuffectus ab Imperij ordinibus Friderico Patri, poſt geſtum annis omnino quinquaginta ſupremum dignitatis profanæ apicem, eodem anno defuncto, quadringentis comitatus equitibus, dotalem coniugis ſuæ Mariæ regionem inviſerat. Reditum Baſileâ inſtituit, nuncio lætus, quo Sigiſmundus Archidux, quia improlis, jus ſuum in ſubiectas ſibi ditiones, Baſileæ vicinas, Alſatiam, Sundgoiam Hercyniam Sylvam, Tyrolim inſuper, ipſi tranſcriberet. Maximilianus ampliſſimis primum auctus terris, Mariam coniugem ex equo fatali caſu prolapſam amittit dolore maximo. At luctum brevi abſterſerunt ſecundæ cum Blanca Maria Ducis Mediolanenſis filia, celebres nuptiæ. 1493.

Anno Chriſt 1493. Per id tempus, facta nuper in Suevia Principum Confœderatione, ſuſpicati adverſa ſibi coqui conſilia, veriti inſuper Helvetij, ne Maximilianus ſoceri ſui cædem ultum iret, annis quindecim durabile fœdus pepigerunt cum Alberto Argentoratenſi, Caſparo Baſileenſi Epiſcopis, Civitatibus item Argentina, Baſilea, Colmaria, Seleſtadio &c. Et ſanè profuit illud Helvetiis fœdus, quibus videlicet gerendum fuit anno 1449. trahendumque diu cum Rhætis & Auſtriacis vario per Rhetiam, Alſatiam & Sueviam eventu victoriæ, donec tandem Helvetij memorabili pugna hoſtes ſuos apud Dorneckiū fuderunt. Poſtquam furori Martio fuſum ſatis Chriſtiani ſanguinis, interpoſitione Ludovici Ducis Mediolanenſis, Pax inter Maximilianum I. & Helvetios juratur Baſileæ 22. Sept. anno 1499. adiecit Maximilianus hære-

hæreditarium fœdus, quo voluit Auſtriacam domum, Ducatum Mediolanenſem, Electores & Imperij ſtatus, nominatim Argentinenſem & Baſileenſem Epiſcopos, urbes quoque Argentinam, Colmariam, Seleſtadium, Kaiſerſpergam, & Mülhuſium comprehendi, Inde verò Helvetij fœdere ſuo complectebantur Ludovicum Galliæ Regem, Abbatem S. Galli, Appencellam, Schaffhuſium, Rothvvilam & Rhetos. Nec gravatè recepta eſt Baſilea in illud quod tunc agebatur, & poſt aliquod tempus in commune Helvetiorum fœdus anno 1501. 9. Iunij. ea lege, ut in publicis Comitiis ſententiam ſuam ante Friburgenſes & Solodoranos dicerent Baſileenſes. Poſt eam fœderis coniunctionem, uno ſuperſtes vixit anno Caſparus Epiſcopus, cui ante biennium, ob gravatum ære alieno Epiſcopatum *Anno Chriſti 1499.* *1501.*

Anno Chriſt. 15[illegible]

Adiutorem ſeu Adminiſtrum dederat Canonicorum Cœtus Chriſtophorum ab Vtenheim, Iuris Canonici Doctorem, & inter Canonicos, dignitate, Cuſtodem, virum probitatis, ſcientiarúmque laude inſigni commendandum. Sunt qui ſcribant, illum fuiſſe Generalem ordinis Cluniacenſis. Interim curis liber Caſparus privatam egit vitam eo biennio, Delemònti, ſuppedidato, decenti, ſed, minimè ſuperfluo victu, annuis ſcilicet florenis quadringentis, præter alia quædam rei domeſticæ neceſſaria.

CHRI-

CHRISTOPHORVS

Anno Chriſt 1503.

Ab Vtenheim, Alſata, Canononum Doctor.

Baſilcenſis Epiſcopus.

LXIV.

PLacuit ante alios in Canonicorum conſeſſu, perſpectæ vir induſtriæ Chriſtophoprus Vtenheimius, dignúſque votorum conſenſu habitus, qui nomen Epiſcopi adiiceret muneri illi, quod biennio præclarè adminiſtraverat. Peractâ igitur electione 2. Novembris 1502. ab Alexandro comprobatus menſe Martio, ſequentis anni 1503. 28. Maij. Baſileæ in Principe Eccleſia Epiſcopus inunctus eſt. Ferunt per hos honoris gradus, moribus immotum perſtitiſſe, amantem frugalitatis & ſumptuoſi luxus egregium contemptorem: adeo ut veſtem ſericam

Anno Chriſti 1505. nunquam admitteret, ſuperbam pompam, otioſum temporis diſpendium, & delicioſas illecebras cane peius & angue averſatus. Id unum jucundiſſima ipſi voluptas erat, quātum quidem officij ſui permitterent ſollicitudines, ſacrarum litterarūm lectio, divinorúmque ſapidiſſima contemplatio. Solenne habuit feſtis diebus rem divinam facere, moris ſui & pietatis ad extremam uſque ſenectam retinentiſſimus, ad aram deductus, quia præ virium defectu pedibus niti non valebat, famulorū humeris ſuſtendandus.

Sub hoc Epiſcopo, anno 1504. Raymundus tituli Mariæ novæ Cardinalis Pij III. Legatus ex Francofortenſibus Comitiis redux, poſt obitam legationem in Daniæ & Sueciæ regnis, Pontificiam noxarum Indulgentiam illic paſſim elargitus, habuit iter Baſileam, & aliquamdiu

ibi

ibi ſubſtitit, ut ſerium illius, quod- primùm intellexerat, examen inſti- tueret: eſſe nempe in Eichſelen ar- cis Rheinfeldenſis Parochia tunc temporis, tria corpora, Kunigundis, Mechtildis & VVibrandæ Virginum è conſortio S. Vrſulæ, & á prima ſe- pulturæ die, immota conquieſcere, multiſque pridem inclaruiſſe mira- culis. Vt quid certius de rei veritate cognoſceret, Iacobum Merboldum ſuum à ſecretis fidum comitem ire jubet, & num verbis facta reſponde- ant, explorare ſingula operâ minimè perfunctoriâ. Iacobus ut juſſus, quàm accuratiſſima poteſt diligen- tiâ indagat, refértque dicta fidem mereri, mille comprobanda, ſi opus foret, teſtimoniis. Raymundus, rem hanc ad ſui officij rationem per- tinere exiſtimans, eò proficiſcitur, ut authoritate maiori relatis actis & miraculis in publicas tabulas, ſan- ctarum

Anno Chriſti 1503.

Anno Chriſti ctarum Virginum cultus & veneratio creſceret. Poſtquam ſuis ipſe ſingula pervidit oculis Cardinalis, aperiri ſepulchrum mandat, ſuiſmet excipit cineres manibus, & in locum honoratiorem recondit. Confecto denique diplomate, noxarum veniam impertit illis, qui die ſanctis Virginibus ſacrâ, religionis cauſâ ad earum lipſana inviſerent.

1511. Anno 1511. 7. Februarij. Maximilianus Imperator, perpetuum cum Helvetiis fœdus renovat, ſuo, Carolique Nepotis nomine. Fuit hic Carolus V. Gandavi natus anno 1500. ex Philippo Maximiliani filio, & Ioanna Ferdinandi Hiſpani & Eliſabethæ filia, Imperator electus anno Chriſti 1519. ætatis ſuæ 19. Chriſtianorum Imperatorum nulli ſecundus, ſi bellorum ab ipſo geſtarum ſeries, victoriarum numerus & heroicarum ipſius virtutum penſetur magnitudo. Anno

Anno 1513. 21. Iulio II. vitâ functo ſuccedit Leo X. calamitatibus Eccleſiæ maximis, ſi ullus Pontifex obnoxius. Poſtquam enim Generale Concilium XVII. Lateranenſe à Iulio incœptum felici clauſit exitu, receptóque in gratiam Ludovico XII. Gallorum Rege, cuius armis & artibus impetitus fuerat, Tragicæ perturbationis ſpectator fuit, quam Choragus luſit Martinus Lutherus anno 1520 in ſcena hæretica laxitatis ſtudioſos tracturus exemplo ſuo infelices Actores, inquinatiſſimæ vitæ pleroſque inceſtuoſos Apoſtatas, qui Germaniam potiſſimum & Septentrionales populos reducta dogmatis, ſed ab Eccleſia jam pridem damnata crambe ac lue inficerent. Anno Christi 1513.

Huius novitatis afflatum brevi ſenſit Baſilea, quando VVolfgangus Capito Baſileenſis Eccleſiaſtes Oecolampadium advocavit, & Doctoris inſigni-

Anno Chriſt 1513. inſignibus condecorandum curavit; ſed is dilata nonnihil ad excoquendum novum dogma occaſione, Auguſtam, unde venerat, tantiſper recedit. Et certè ſecuturis novitatibus anſam dedit Magiſtratus Baſileenſis eodem anno, auctoritatem, veterémque Epiſcopi poteſtatem ſenſim vellicans; adactis videlicet ad ſacramentum ſibi dicendum, Epiſcopi ſæcularibus adminiſtris, contra jus omne & uſitatam hactenus conſuetudinem, cùm & cives jure veteri fidem Epiſcopo jurarent, & Magiſtratum Epiſcopus ac Conſules quotannis vel conſtitueret, aut certè approbaret.

1519. Anno 1519. 12. Ianuarij quo acclamatus Imperator Carolus V. Canonici Baſil. Chriſtophoro Epiſcopo emerito jam ſeptuagenario, dánt adminiſtrū difficilibus adeo temporib⁹ vel maximè neceſſarium approbante

te Pontifice, Nicolaum à Diesbach *Anno* è prima Bernenſium nobilitate ori- *Conſu* undum, Iuríſque ſcientiſſimum Eccleſiaſtici & jam dudum Senis in Italia Canonum laureâ decoratum.

Anno 1521. res Baſileenſis in peius 1521. ruere cœpit luculentis decrementis. Guilielmus Rablin ad Divi Albani Parochus cõtra Miſſam & Purgantes flammas impunè & licenter debacchatus, tanto populi plauſu auditus eſt, ut arridentem plebi novitatem Magiſtratus avertere non auſus fuerit. Sedato poſtea tumultu, id Epiſcopi & Cleri precibus conceſſum eſt, ut os buccinatori obturaretur: ſed quam erga ſuum Epiſcopum reverentiam turpiſſimo iterum nævo commaculavit ſenatus, eodem anno Conſules & Magiſtratum legendo, iniuſſu ſacri Antiſtitis.

Anno 1522. Oecolampadius Au- 1522. guſtâ Baſileam revocatus (qui interea

Anno Chriſti 1521. rea relicto concionandi munere, Auguſtæ in Altenmünſter cœnobio ordinis S. Birgittæ monachum induerat) oblatam Theologiæ prælectionem acceptat. Crevit Apoſtatæ cum nova dignitate audacia: nam ipſe contemptis veteris Eccleſiæ ritibus, ſacramenta Lutheranorum more conferre cœpit, evulgato de cœna Domini libello, in quo verba Chriſti. *Hoc eſt corpus meum.* tropologicè exponit. Suam hac de re ſententiam rogatus Eraſmus reſpondit: *Legi, & cenſeo doctum & politum eſſe libellum, dicerem, & Chriſtianum; ſi quid Chriſtianum dici poſſet, quod Eccleſiæ ſententiæ repugnat, à qua diſcedere meo quidem judicio periculoſum eſt.* Vtinam aliàs tam orthodoxè ſenſiſſet aut locutus fuiſſet Eraſmus, habuiſſétque potiùs cordi, fidei morúmque puritatem, quàm

quàm ſermonis latini, in quo meri- *Anno Christi 1525.*
to laudem nemo ipſi deterat.

Anno 1525. bellum Ruſticum in Germania atrociſſimum & cruentum in Nobiles præſertim ac Imperij magnates, aut ſuſcitavit primò vel certè novo flammæ iniecto pabulo fovit hæreſis per provincias jam latè graſſata, ventroſum mali incentorem ſuum Lutherum invito Deo ſecuta. Huius occaſione ruſticani belli, Lauffenſes, eorúmque vicini jus civitatis obtinent Baſileæ: Anno ſequenti, Telamontius Limperger, Epiſcopi Baſileenſis Suffraganeus, turpiſſima tranſitione ad hæreticos defecit, illorum quoque perfidiæ reus, quos utique plures exemplo ſuo ad parem exitij ſortem pertraxerat. Vnde Canonici Telamontium Collegij ſui dehoneſtamentum, ſuorum è numero expungunt, officio privant, & Auguſtinum

Anno Chriſti 1525.

Marium SS. Theologiæ Doctorem, ac jam antè Friſingenſem Proepiſcopum ſubſtituunt.

Vt Baſileæ, ſic paſſim per reliquam Helvetiam emergente hæreſi, Theologorũ Synodus Badæ indicitur. Adſunt conſtitutâ die, D. Ioannes Eckius, Academiæ Ingolſtadienſis Profeſſor, D. Ioannes Faber, Ferdinando Archiduci à conſiliis, D. Thomas Murner Lector Franciſcanorum Lucernæ, publicè omnes coniurati, ſe veterem & orthodoxam religionem contra Vlricum Zvvinglium Tigurinum Præconem, & quoſvis alios conſtanter propugnaturos. Eckius quidem has propoſuit theſes, quas omnes, adverſarij, præter duas poſteriores, oppugnare tentârunt.

Prima

Prima.

Verum corpus Chriſti & ſanguinem præſentem eſſe in Euchariſtiæ Sacramento. Anno Chriſti 1525.

Secunda.

Chriſti corpus & ſanguinem in Miſſæ ſacrificio pro vivis & defunctis verè offerri.

Tertia.

Imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe tollendas.

Quarta.

Poſt hanc vitam dari Purgatorium.

Quinta.

Etiam Infantes Chriſtianorum naſci in peccato originali.

Sexta.

Baptiſmum Chriſti & non Joannis tollere peccatum Originale.

Anno Chriſt 1525.

Ad hanc diſputationem 21. Maij, anni 1526. habendam venerunt quatuor Epiſcoporum, Conſtantienſis, Baſileenſis, Lauſannenſis, Curienſis, Cantonum Helvetiorum, iiſque Confœderatorum Legati. Zvvinglius, quantumvis cum immunitatis & interpoſiti liberi commeatus promiſſione, ſæpius invitatus, comparere diffidit. Diſputationis Præſides lecti, Barnabas Engelbergenſis Abbas, D. Ludovicus Baer Baſileæ apud S. Petrum Præpoſitus, Iacobus Stapffer Sangallenſis, eques, Ioannes Honecker Conſul Bremgartenſis, qui prudenter antea præcaverunt, ne ullus, diſputantium verba ſcripto exciperet, præter ſcribas libellionis muneri deputatos, ſcripta ipſi & acta penes ſe ſolos aſſervaturi. Oecolampadius prima oppugnationē diſputationi initium dedit, ſolenni antè præfatione uſus, ſe ſolo verbo Dei,

Dei, non conſuetudinis, Doctorúmque decretis niti velle, aliúmque ſe repudiare Iudicem, qui præter Dei verbum, verba alia daret. *Anno Christi* 1521.

Poſt aliquot dierum contentionem, rogati utriuſque factionis doctiores, qui aderant, auditores, Eckiine Theſes, an adverſariorum ſententiam præferrent? Maior pars ſubſcripſit Eckio: aliqui Oecolampadio: reliqui, haud ſat liquere, utri plus deferendum, reſpondeunt. Nominatim verò adhæſerunt Eckio viri primarij D. Baër, D. Doctor Marius ſacer orator Baſileenſis Eccleſiæ, Ioannes Silberberger Medicinę & Iuris utriuſque Doctor, Ioannes Sattler SS. Theologiæ Baccalaureus. Cum his, Cantones Helvetiæ novem, Lucerna, Vranium, Schvvitzium, Subſilvania, Tugium, Clarona, Friburgum, Solodorum, Apenzella.

Interim ſuperſeminata Baſileæ

Anno Chriſti 1525. nova doctrina altas jam agebat radices continuà, non modo ſæcularium, ſed & religioſorum defectione. Ex horum numero, Pellicanus, Rubeacenſis patria, Franciſcanorum Guardianus Baſileæ, abiecto cucullo, & ſanctiſſimi ordinis transfuga Tigurum evolavit, ut, cum Hebraicę linguæ profeſſione novum dogma hæreticum incantaret. Sed & in Baſileenſi Civitate, in æde Parochiali S. Martini auctore Oecolampadio, Davidici Pſalmi Luthera no more primùm decantati ſunt.

In hoc rerum & malè paſſim habitæ religionis articulo, quid ageret, quámque in partem ſe verteret, animi anceps, & quanam ratione labantis fidei in ſua Diœceſi caſum præpediret, ætate gravis, adeoque tantis impar curis Chriſtophorus, 19. Februarij, anno 1527. Bruntrutum evocat Abbatem Bellelagienſem, Ioan-

Ioannem Steinhauſer Officialem, ut vocant, & Ioannem Henricũ Vorburger I. V. Licentiatum, ad D. Vrſicini Canonicum; hos Baſileam legatos ad Canonicorum cœtum mittit, ut ex animi ſui ſententia, Diœceſeos Eccleſiaſtica & Civilis Iuriſdictio transferatur in alium magis idoneum. Auditis Legatis, Canonici morem gerunt, emerito ſeni penſionem in menſarios ſumptus conſtituunt quotannis aureos ducentos, ut ſibi Delſpergæ viveret imposterum. Sed anno non integro ſuperſtes, 16. Martij, ad tranquillitatis portum commigravit, ibidem ante aram Principem ſepulchro illatus. Nicolaus à Diesbach Baſilenſis Eccleſiæ Cathedralis Decanus & lectus Epiſcopi Adiutor, ne graviſſimo oneri ſuccũberet, exulceratiſſimis temporibus, abdicatâ maturè commiſſæ adminiſtrationis curâ, *Anno Chriſti 1527.*

Anno Chriſti 1527. 21. Februarij, Veſontionem conceſſit, ubi & vitam & vitæ finem conſtanti pietate obiit. Epitaphium ipſius in ſacello S. Catharinæ, quod eſt in Eccleſia Metropolitana S. Stephani Biſuntina, his verbis legitur inſculptum ſepulchrali lapidi.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.

Hic quieſcit Reverendus & Nobilis Dominus Nicolaus de Dieſbach, Bernenſis, Prioratuum, Valliſcluſæ, & Grandiſſoni Commendatarius: qui ob ingruentem in Eccleſia, Lutheranorum perſecutionem, Coadiutoriæ Epi*ſcopatus Baſileenſis ceßit, & Decanatum ac Canonicatum Baſileenſis, necnon Præpoſituram Solodorenſis*, Ec*cleſiarum Lauſannenſis Diœceſis, aliáque*

que Eccleſiaſtica, *quæ obtinebăt, reliquit, & Biſuntij degens, hoc Sacellum reſtauravit, in quo Miſſam Canonialem quotidie celebrandam fundavit. Qui obijt die quintadecima menſis Junij, anno Domini 1550. ætatis ſuæ Septuageſimo ſecundo. Orate pro eo.* *Anno Chriſti*

RVDOLPHVS 1527.

Ab Halvveyl.

Baſileenſis Ep*iſcopus.*

LXV.

CHriſtophorum inter & Philippum Epiſcopos medius collocatur Rudolphus, menſe, ut aiunt, Februario, anni 1527. Chriſtophori ſucceſſor a Canonicis legitimè conſtitutus. Quia verò exciſio calculi, quo acerrimo dolore laborabat, tertia ab electione hebdomadâ è vivis ipſum ſuſtulit, ita ut neq; poſſeſſio-

Anno Chriſti 1527. nem Epiſcopatus, multò minùs Confirmationem Pontificis acceperit, ab aliquibus è Catálogo Epiſcoporum expungitur, ſed non eſt, cur in eorum ſeriem non admittatur.

PHILIPPVS

Franco à Gundelsheim.

Baſileenſis Epiſcopus.

LXVI.

SAcri muneris, quod tenuerat Chriſtophorus ab Vtenheim, ſpontanea depoſitio facta 19. Febr. anno 1527. ſub exitum eiuſdem menſis Delſpergam Canonicos evocavit, ut ſortitioni ſucceſſoris operam darent. Illi, numero undecim, Andreas Stürtzel à Buochheim, Canonum Doctor Præpoſitus, Philippus Iacobus ab Andlo Cantor, Philippus à Gundelsheim Cuſtos, Petrus Reich à Reichenſtein Archipresbyter, Ioannes

nes Rudolphus à Reinach, Iodocus à Reinach, Iacobus Beihelſchmidt, à Dünckelſpül, Dominus Iacobus à Pfirt, Sigiſmundus à Pfirt, Cornelius à Liechtenfels Scholaſticus, & Thomas Falckenſtein, præter abſentium juſtis de cauſis conſignata ſcriptóq; tranſmiſſa ſuffragia, Philippum Francum annos natum quadraginta difficili ob frementes hæreſis tempeſtates gubernaculo Baſileenſis Eccleſiæ applicant. Electionem hanc ex mente ſua factam reſpondit Clemens VII. *Anno Chriſti 1527.*

Baſileæ, interea peſſum ibat orthodoxa religio. Aucta ſiquidem quotidie hæreticorum numero, negligi feſta, omitti ſupplicationes, ludificari veteres Eccleſiæ ſacri ritus cœperunt. Lucas Rolutius Prior apud S. Leonardum, cum omnibus ſuis religioſis, deiurium vitæ religioſæ quà ſe Deo obſtrinxerant, faciunt;

Cœno-

Anno Chriſti Cœnobij clavibus Magiſtratui contraditis, modò cibaria flagitioſæ vitę neceſſaria reciperent. Secuti mox alterius ordinis Sodales, ne inter malos viverent boni. . Ita demùm perturbatis rebus, fruſtra aliquamdiu obnitente Magiſtratu, fit cuivis arbitraria religionis profeſſio.

1528. Anno 1528. 6. Ianuar. contra Cæſaris mandatum, Conciliabulum Bernenſes convocant. Adfuere Tiguro Zvvinglius, Baſileâ Oecolampadius, Argentina VVolfgangus Capito, & Martinus Buccerus, Conſtantiâ Ambroſius Blavver &c. Agitatâ viginti dierum diſputatione; Bernenſes Miſſam abrogant, & ſublatis imaginibus, novam ad lubitum cudunt religionem, quod Tigurini biennio antè ad votum & manuductionem Zvvinglij præluſerant. Geneuenſium inde & Argentinenſium deploranda Metamorphoſis graviores

res adhuc Baſileæ concitabat motus. *Anno Chriſti 1528.* Audaculos aliquot tenebriones, quòd privatâ licentiâ Sanctorum imagines quaſdam deturbâſſent, in carcerem compingi juſſerat ſenatus: at contribules eorum, furore & inſaniâ hæreticâ amentes minis & vociferationibus tota urbe tumultuati, deiectis & ipſi è templorum parietibus, ſanctorum picturis, extorquent nebulonum captivorum libertatem. Adſunt denuò Sectarij cives trecenti, qui ſupplici libello à ſenatu poſtulent 23. Decembris, miſſarum abrogationem. Petitionis huius indignitate commoti minoris Baſileæ cives, obſiſtunt magnis animis deteſtandæ novitati. Proxima erat cædes mutua & civium internecinum certamen, ni Senatûs auctoritas iras ſedâſſet domúmque & ſeditioſos, & bene adhuc ferventérque ſentientes alios Cives domum pedem referre

man-

Anno Chriſti 1523. mandâſſet. Triduo pòſt referveſcētes effreni iracundiâ ſeditioſi, ſtentoreis clamoribus in unum conglobantur, & ter milleni arma corripiunt, libertatem novæ religionis inclamant, vim etiam parant, & cædes immugiunt, ſi repulſam ferant. Actum erat, conclamatúmque à Magiſtratu de retinenda avita religione, quæ hactenus in ampliſſima urbe à tot centenis annis mirificè floruerat: extorquetur tandem, bonorum luctu, ſectariorum plauſu incredibili, poteſtas ex omnibus templorum exedris Evangelium, nova recuſum forma, Dei verbum puriſſimum explicandi. Conceſſis ſeu veriùs per vim extortis minimè contenti ſeditioſi, movendos è Senatu Catholicos impudenter ululant; & cùm ſegniùs id fieri viderent, armati prodeunt, imperata ipſi ſua executuri. Anno denique 1529. die Cinerum, imagines

in

in unum comportatas, & in duodecim acervos diſtributas, novi iconoclaſtæ (ô ſcelus impium & ſacrilegum!) furori ſuo & flammis conſecrant. Ad hæc, uſi ſunt impoſterum licentiâ deligendi Conſules, Senatores, & Sex-viros: ita ſcilicet admiſſa in Deum perfidia, facilè laxat debitam Principi & Magiſtratui ſubiectionem. Poſt hanc urbi faciem & larvam religionis inductam, adſunt legati Conſtantiâ, Bernâ, Tiguro, Solodoro, Schaffhuſio, ut pacem factâ præteritorum Amniſtiâ concilient. Fit fœdus peculiare cum Bernenſibus & Tigurinis ad fidei novæ tutelam. Huic vinculo innecti ſubinde petierunt & impetrârunt Conſtantienſes, Mülhuſiani, Schafthuſiani, Bielenſes. Nihil jam ſupererat recentiſſimæ religioni, præter recentia ſtatuta & decreta, quod novi Eccleſiæ Doctores, & ſui jam

Anno Chriſti 1529.

Anno Christi 1529. jam ſibi Pontifices affatim præſti-
terunt.

Tragico mœſti hoc ſpectaculo Canonici, quandoquidem ſublatum erat ex omnibus templis Catholicæ pietatis publicum exercitium, habito conſeſſu, Derelinquamus eam, inquiunt. Convaſatis rebus ſuis, Friburgum Briſgoiæ abſcedunt. Tribunal Eccleſiaſticum Altkircham transfertur. Academici Profeſſores cum ſtudioſis pleriq; Baſilea migrant, & inter hos ſedem locúmque mutant D. Ludovicus Baër Baſileenſis, Henricus Loritius, Philoſophus & Poëta, Eraſmus Roterodamus poſt exactum Baſileæ octennium, in quam tamen iterum, (utinam nōn ad vomitum!) rediit anno 1535. Iulio menſe ſequentis anni, ibidem extinctus.

Poſt diſceſſum Profeſſorum & Academicæ Iuventutis, urbis Magi-
ſtratus

ſtatus, Academiæ litteras, libros, ſceptrum, ſigillum aſſervanda ſibi vendicat, dum ſtudia, poſt tumultus hos, Manſuetæ Minervæ inſtaurarentur. *Anno Chriſti* 1529.

Sub medium verni jeiunij, patuit janua Cœnobiorum Monachis ad vitæ & conditionis transfugium, mandatúmque utriuſque ſexus religioſis, ut ſacro habitu excuſſo, profanum induerent, ſuæ quiſque conditioni accommodatum: concioni unà cum Civibus intereſſent: licere adhuc Cœnobia incolere, & ſuis inde alimentis, modò ſine offenſione introductæ religionis, vivere. Cui matrimonium allubeſceret, licitum etiam id fore, permiſſo ex bonis Eccleſiaſticis colligendo honeſto cenſu pecuniario, ad vitæ ſuſtentationem & rei familiaris decentiam. Fuerunt, qui ægerrimo ferrent animo & calidis deplorarent lacrymis, religioſæ

Anno Chriſt 1529. diſciplinæ, cui à teneris propè aſſueverant, fœdum nimis exterminium, malléntque ſolum vertere quàm mentem in primo propoſito conſtantem. Alij vitam in Monaſteriis reliquam, non ſine moleſtiis gravibus tolerârunt. Plerique inceſtis nuptiis votum Deo factum violârunt, & ſe voluptuariæ Veneri devoverunt. Reliqui ſacerdotes ſæculares, vel urbe excedere, vel ſacramentum fidelitatis heterodoxò Magiſtratui præſtare compulſi ſunt.

Anno 1529. & ſequenti, varia inter Catholicos & Acatholicos diſſidia ſolo gladio decidi potuerunt, victoriâ ſe Catholicis & meliori cauſæ inclinante, ipſo Zvvinglio cum aliquot ſuorum millibus anno 1531. in ardore pugnæ interſecto.

Argentinenſium votis multa quoque non reſpondebant; nam & ipſi poſt bellum Smacaldicum &

miſſum à Carolo V. *Interim*, per Germaniam ubiq; publicatum, coguntur in gratiam Epiſcopi ſui redire, inſtauratis, quas abrogaverant, Eccleſiæ ſacris ritibus,& tria Catholicis templa reſtituere anno 1550. *Anno Christi* 1550.

Anno Chriſti 1553. Octob. ineunte, morte ſuâ ſedem anni integri ſpatio vacuam fecit Philippus infelici tempore Epiſcopus, ſub quo nimirum Biela, Erguela, Grandis-vallis, oppidum Lauffen, Præfectura Zvvingenſis, omnéſque pagi Baſileæ vicini ad orthodoxa fide ad hæreſim deſecerunt. Defuncto, ut dictum Philippo, Adminiſtratoris nomine exornârunt Canonici, Ioannem Steinhauſer Veltkirchenſem I. V. Doctorem, Cuſtodem, & Vice-Decanum Cathedralis Eccleſiæ, ſed ad breviſſimum tempus ſuperſtitem. 1553.

Anno Chriſti, 1554.

MELCHIOR
a Liechtenfels.
Baſileenſis Epi*ſcopus.*
LXVII.

ADminiſtratoris nomen cum Epiſcopatus cura à Canonicis primùm inditum Melchiori à Liechtenfels, pallium fuit aliquamdiu ſubditis, quo illi obtecti ſacramentum dicere recuſarent, nolléntque parere alteri, quàm Principi, & Epiſcopo Baſileenſi, Domino ſuo legitimo. Bielenſes in rem ſuam intenti, urbis maioratum, (pręcipuam apud ipſos dignitatem & ab Epiſcopo conferri ſolitam, quocum Maioratu Senatus fidem mutuam jurat) & Præfecturam Ergue, aliquod aureorum millibus ſibi oppignorari flagitant; quod ubi conceſſum fuerit, ſubiectionis juramentò in manus

Admi-

Adminiſtratoris ſe aliis mox præituros. Callidum id Bielenſium conſilium malè habuit Baſileenſes, qui illud cum pactis & conventionibus initis pugnare affirmarent. Canonici reſpondent, onerata pignore loca evolutò annô, exhibitò levanda pretiô, atque, ne in ſcirpo nodus quæreretur diutiùs, Melchiorē Epiſcopi titulo 1554. conſalutant: Is ſollicitus rei nummariæ, quanamue ratione Canonicorum fidem & devincta accepto pignore loca liberaret, præter decimum nummum tributarium ſubditis impoſitum, alia quæpiam exigit. Irritati præ ceteris tredecim Maioratus Vallis Delemontanæ, ut propulſarent expeditiùs quidquid contra maiorum ſuorum veterem conſuetudinem, tentaretur, jus Civitatis levi opera Baſileæ impetrant, firmius ſibi adverſus Epiſcopi exactiones propugnaculū. Anno Chr. ſtl. 1554.

Anno Chr. ſ 1554. Baſileenſis Magiſtratus, quod jure Civitatis rogati donâſſet vicinos, compoſitis excuſant verbis per Legatos Bruntrutum miſſos ad Epiſcopum: eo ſcilicet, minimè factum animo, ut à ſui Principis dominatu avocaretur hic montium valliúmque tractus, caviſſe ſolùm delinitione opportunâ, ne in alienam maximo cum Epiſcopi detrimento tranſirent poteſtatem. Incolæ montis Liberi, ut fortunā cum Delſpergenſibus accolis haberēt parem, eorum excitati ſucceſſu, audacter nummi decimi relaxationem poſtulant, quâ negatâ, idem Baſileæ quærunt & inveniunt perfugium, jus Civitatis, jurejurando, uti priores fecerant, fidei in ipſos ſuæ præſtito.

Poſt breve temporis ſpatium, Baſileenſes, pecuniâ Epiſcopo mutuò data ad eximendum Bielenſem maioratum neceſſariâ, eorum quæ

cum

cum Vallis Delſpergenſis & Liberimontis incolis egerant, ab Epiſcopo confirmationem exprimunt, ita jus omne dura extundit neceſſitas, & manus jungit vel maximè diſſidentium. *Anno Christi* 1562.

Anno 1562. In Comitiis Francofurtenſibus Ferdinandus Imperator ſibi Imperij adiutorem & ſucceſſorem, probatum Electoribus nominat Maximilianum filium. Inde luſtratis Rheni urbibus Baſileam aſcendit, ubi magnificè exceptus cives plura adhuc poſtulantes, ſpe magnarum conceſſionum plenos dimittit, veteribus bullæ aureæ privilegiis urbi confirmatis, tùm Oeniponti 24. Iunij, eiuſdem anni 1563. mortali relicto ad cœleſte regnum, tranſit.

Anno 1575. Colmariæ, ne populus hæreticæ concionis aviditate, ut novitates plerumque rapiunt ani-

Anno Chriſti 1575. mos, Harburgum & in ipſam VVirtembergici excurreret ditionem, quod fruſtra antè vetuerat Magiſtratus, repetitis mulctæ pecuniariæ comminationibus, decrevit, Patrum Franciſcanorum ſacram ædem, Synogogæ Novatorum attribuere, & præconis publici voce proclamata libertas per quatuordecim tribus, eo loco poſthac concionem Acatholicam frequentandi. Mutationem hanc ingemiſcendam fertur, potiſſimùm induxiſſe rudis penitus ſacerdotum Catholicorum ignorantia, qui ipſi pugnantia ſæpe, abſurda, ex ridicula eſtutirent: & veluti turpi fœdatam luto gemmam religionis pretioſiſſimam contemptui proſtituerent. Ad hæc, primores urbis, lue, quá non pauci laborabant, facilè reliquos infecerunt.

Ne verò penitus labefierent Colmariæ Catholici ritus, populum ut

potuit

potuit, ferventiſſimè, à deſertione fidei avitæ dehortatus eſt, per ſuos Princeps. Poſt eam deniq; concionem, à Prædicante habitam Colmariæ, die ſequenti vitæ periodum abſolvit Bruntruti Melchior Epiſcopus, ubi & tumulo mandatus eſt in Eccleſia S. Petri ante principem arã, anno Chriſti 1575. 16. Maij. *Anno Chriſti*

IACOBVS CHRISTOPHORVS BLARER à VVartenſee. 1575.

Baſileenſis Epiſcopus. *LXVIII.*

BLarerum Epiſcopum noſtra jam propiùs brevis aſpicit Synopſis, quem ſi Reſtauratorem Baſileenſis Epiſcopatus & nutantis in Diœceſi fidei fulcimentum dicamus, nihil ſupra meritorum magnitudinem in medium afferetur. Quam ſanè partæ

Anno Christi 1575. laudis magnitudinem vel hoc breviſſimo indiculo dimetiaris. Natus is anno 1542. 11. Maij, ſtudiorum moderatorem habuit Friburgi Briſgoię inter alios, Henricum Glareanum, Matheſeos & Poëtices monumentis nobilem. Vbi adoleſcentem ad magna natum florens prodidit indoles, Canonicorum Baſileenſium ſimul & Conſtantienſium albo inſcribitur, temporis & virtutis paribus fere incrementis, niſi illa longè præverteret ætatem. Annos natus 33. Delemonti, ad congregatum illic Canonicorum cœtum divinis Zeli ſui & fervoris igniculis reſperſam habuit orationem pro Orthodoxa religione Diœceſi Baſileenſi aut reſtituenda, aut conſervanda. Quâ dicendi contentione multis lacrimas, & animum, ea quæ dicebantur efficiendi excitavit. Aderant verò ex Capitularibus, VVolfgangus Theodoricus

doricus à Reitnavv Præpoſitus, Nicolaus Rudolphus à Brunighofen Decanus & Vicarius ſeu Adminiſtrator Epiſcopatus in Interregno, Philippus à Râmerſtal Cuſtos, D. Apollinaris Kirſer Cantor, Marcus Teccinger Scholaſticus, Bernardus à Ramſtein, Ioannes Diepoldus à Stadion. Ab his omnium Iunior, Iacobus Chriſtophorus Blarer eodem anno 1575. die 22. Iun. Epiſcopus nominatur. Sed ille delatum onus, quo planè tunc temporis præcelſus honoris abſorberetur titulus, in ſuos humeros admittere priùs detrectavit, quàm ſui Collegæ in fœdus conſentirent cum Helvetiis Catholicis ineundum; erigendæ nonnihil imbecillitati ſubſidium perneceſſariū. Voti compos effectus, alto preſſit ſilentio conſilium ſalubre, dum ſperata illuceret opportunitas. *Anno Chriſti 1575.*

Duobus poſt electionem diebus Iaco-

Ann. Chriſti 1575. Iacobum Principem, feſtivis ut ſolent gratulationibus, in urbem ſuam & arcem inducunt Bruntrutani. Sed ecce in ipſo dignitatis aditu trãſverſum obicem, qui aliis pavorem incuteret, non autem forti pióque Blarero Principi. Erat libellus ſupplex quorumdam, & poſtulatio ſequendi impunè & exercendi depravati nuper Evangelij normam. Reſpondit Epiſcopus, pari fortitudinis juxtim & prudentiæ laude, ut jam acquieſcerent illi novitatis introducendæ ſtudioſi. Anxium tamen meritò reddebat anceps illa ſubditorum fluctuatio. Haud ſatis in Bruntrutana Præfectura fiduciæ collocari poterat, quorum multi, ut dicitur, ſibi cum lupis ululandum putarent; & verò in medium jam urbis forum penetraverat audaculus Prædicans ad hæreticum commercium circumforanei garrulitate Cives allecturus,

rus, niſi maſcula virtus viri cordati arreptum manu miſerum Prædicantem faceſſere, & alibi quàm ex menſa Lapidea, venale ſuum exponere venenum impacto priùs inſigni colapho coegiſſet. In Toparchiis prę- terea Delſpergenſi, & Liberi-montis incolæ, quòd jus Civitatis obtinuiſſent Baſileæ, vitrum erant, quod, niſi molliter tractaretur, frangeretur, citiùs quàm inflecteretur. Ad hæc, in tota paſſim ditione, eiuratâ maiorum religione, vel publicè, vel conventiculis privatis audiebantur Prædicantes, etiam ab illis, qui etſi religionis odiſſent vertumnos, caperentur tamen maleſuada loquacitate verborum ſaccharinis lenociniis. *Anno Christi 1575*

Accedebat tantæ ſollicitudini, æris alieni vis innumera, quo Diœceſis opprimebatur: ita quidem ut deductis expenſis, & annuo pecunię

mutuò

Anno Chriſt 1575. mutuò acceptæ cenſu, quandoque nihil, aut exiguum quid reſtaret compenſandis aulæ neceſſariis officiis. Sæpe etiam expenſi rationes accepti ſummam excederent.

Ardebat interim bellis inteſtinis, cædibus & incendiis Belgium & Francia, ob religionis Protheos, quos Martius furor nunquam non ſequitur. Pariſiis inter alios cæſus in nuptiis Henrici Navarræi & ſororis Caroli VIII. Regis, Condæus Princeps. Condæi filius, mortem Patris, ut armis ulciſcatur, exercitum cogit per Ioannem Caſimirum Palatinum, accitis unde unde poterat, auxiliaribus copiis, quas Helvetia opportunè ſuppeditare poterat. Fuerunt Bernæ Gabriel à Diesbach & Tilmannus in expeditionis conſortium lecti Duces, qui tredecim cohortes in Bielenſi & Neoburgenſi agro conſcriptas per Iuraſſum montem in pla-

planiorem Epiſcopatus Baſileenſis regionem deducerent. Subſiſtendum erat aliquamdiu ad radicem montis, in pago Cornavia aliiſque vicinis, ut reliqui confluxum exercitus ibi luſtrandi opperirentur, maximâ utique jacturâ & regionis & religionis. Dum lentiùs affertur Ducum imperium, adeſt Senatus Bernenſis mandatum, quo in patriam quàm citiſſimè revocantur. Indè verò Petrus Beuterich Conſiliarius Palatini, urget, & tandem evincit, ut diſſimulato Bernenſium illo mandato, iter maturent, & per Alſatiam ad reliquum contendant exercitum. Qui periculoſorum hoſpitum diſceſſus panico metu pagos & urbes Epiſcopatus levavit. Aiunt, in proximo urbi pago Hala dicto, inter Duces fuiſſe, quemdam ceteris procaciorem, qui Iacobo Principi in diem ſequentem extrema minitatus, ſi veniret

Anno Christi 1575.

Anno Chriſti 1575. niret in poteſtatem Bruntruti, à gregario milite per incuriam glande plumbeâ eodem die traiiceretur, in exemplum ultionis divinæ, quę mali animi & linguæ ſcelus patrandum anteverteret.

Anno 1576. 20. & 21. Octobris terræmotus Baſileam concuſſit, nullo tamen damno. Sequenti verò, Cometa aſpectu terribilis 11. Novembris cœpit & 18. Ianuarij videri deſiit. Ac brevi pòſt Bernæ & Baſileæ graviſſima laboratum eſt peſte, plurimis celebri funeribus: Baſileæ rurſus terræmotu.

Annus 1580. Iacobo Chriſtophoro Principi in faſtis notandus: hoc ſiquidem cum Helvetiæ Orthodoxæ Cantonibus pepigit fœdus eâ prudentia & ſecreto conſiliorum ſilentio, ut factum citiùs fuerit, & Bruntruti 21. Ianuarij in templo Parochiali, jurejurando utrimque firmatum, quàm

quàm faciendum crederetur. Pari felicitate impetravit à pleno Helvetiæ Cantonum conſeſſu Badæ, ut Baſileenſes omni renunciarent juri, quod ſibi in pagos terráſque Diœceſis uſurpàrant, municipij prætextu, quod iniuſſu, imò inviti Anteceſſoris Epiſcopi Melchioris ſubditi inierant, proinde contra jus omne & æquitatem, & mox reſcindendum. Tertius fortunæ caſus, ſeu veriùs, Dei erigentis virtutem Principis, & animum, qui tot arduis rebus penè ſuccumberet, diſpoſitio ſingularis, æs alienum propè omne, expedivit. Exuſtum erat anno 1559. archivium, ſeu Cancellaria Bruntruti, conſumptis flammâ, vel certè ambuſtis tabulis chartiſve pleriſque. Accidit, ut poſt annos ſat multos, incendii haſce reliquias & chartulas, quæ nonniſi tomenti loco eſſe poſſent, luſtraret Princeps curioſiùs. Has *Anno Christi 1575.*

Anno Chriſt 1575.

inter quiſquilias, uſtulatam chartam arripit: quâ perlectâ, urbis Baſileenſis vectigal jure adhuc deberi Epiſcopo, ipſúmque Autographum Colmariæ in crypta quadam aſſervari, deprehendit feliciter. Colmariam mittitur Cancellarius, qui copiam Autographi deſcribendi petat, quâ inſtructus jus ſuum apud Helvetiæ Cantones proſequatur. Optatis reſpondit eventus & Helvetiorum ſententia adiudicans Epiſcopo libertatem veſtigalia exigendi, vel certè pecuniæ ſummâ, pro eo jure Baſileenſibus remittendo paciſcendi. Hac poſteriori ratione poſtquam eſt conventum, magna pars æris alieni expuncta, nec parva inſuper pecuniæ copia in ærarium Principis illata. Eâ denique ſequentium annorum, quâ uſus eſt, parcimoniâ, & providâ rei domeſticæ induſtria, debitis liberavit ditiones ſuas, cenſibus auxit,

domi-

dominiis ampliavit. A Murbacenſi quidem Cœnobio cenſum emit quadraginta millibus florenorum. Emptione rurſùs factâ annexuit ditioni ſuæ, prædia complura, Viſel, Brunighofen, Dampierre, Varkam, & Monaſteriũ trium regum in Sultz. Et tamen copioſiſſimi ſuffecerunt nummi comparandæ, Argenteæ ſtanneæ, & reliquæ ad inſtruendam aulam Principis neceſſariæ ſupellectili, præter vaſarium & gazam ſacelli Pontificij Argentario opere inſtructiſſimam, ſacras veſtes, ornatum ſericum omnis generis, cuius pretium cum artificoſa elegantia certet. *Anno Christi 1575.*

Iam verò quis ſumptus numeret in ædificia impenſos, quæ ipſe vel à fundamentis erexit, vel adſtruxit veteribus, vel certè propemodum collapſa reſtauravit. Societatis IESV Patribus Templum, & Collegium

Anno Chriſti 1575. religioſis uſibus percommodum, erectum à ſe annuis dotavit reditibus, cui adiecit Gymnaſium & ponè Convictorium, erudiendæ Iuventutis ſtudioſæ bono. Vt ceteras taceam ſtructuras ipſius auſpiciis abſolutas per totum Epiſcopatum, cuius proventus annuos plus dimidia parte auxit. Nec tamen victus aulici moderatione dignitatem ſuam evileſcere patiebatur, irrogatis ſibi tenacitatis ſordibus; quin profuſam ſæpe oſtentaret munificentiam, mira inſuper facilitate morum & vultus blandè ridentis ſuavitate, omnium animos ſibi demeritus, jucundas quandoque inter confabulationes, cum Civibus, quos uno pediſſequo contentus, urbem inambulando haberet obvios.

Ceterùm è tot Epiſcopatus curis primum ſemper habuit locum, ut ſpiritualem gregis ſibi commiſſi Paſtorem

ſtorem ſe meminiſſet. Quam ob rem ſatagebat plurimùm, ut docti probique Parochi per ſuam Diœceſin inſtituerentur, amoverentur, qui perditæ vitæ audirent, aut rei, commeritis, ad exempli terrorem, plecterentur pœnis. Vt verò quam animo deſtinaverat, Cleri reformationem promoveret impenſiùs, Synodum congregavit Delemonti, eiúſque decreta typis vulganda mandavit Friburgi Briſgoiæ anno 1581: ſacris per Diœceſin ritibus, quoad fieri potuit, ad normam Romanam utcumque emendatis, & acceptatis Tridentini Concilij ſtatutis. *Anno Chriſti 1575.*

Quia verò perutilem ſibi fore videbat Patrum Societatis operam tot támque luculentis apud alios Principes, urbes & Reſpublicas comprobatam teſtimoniis, aliquot illius Inſtituti Patres communicatò ſuperioribus illorum conſiliò, Lucernâ evo- 1588.

cat, anno 1588. Vbi adfuerunt illi, confeſtim ſatisfacere piiſſimi Principis expectationi pro viribus allaborant. Horum unus (erat is P. Iodocus Itæus, Principi brevi pòſt à ſacris confeſſionibus) nixus authoritate Prænobilis Chriſtophori Schenck Zvvingenſis tum Præfecti, brevi tempore, ſua dicendi facultate & dedocendi errores induſtriâ tantum effecit, ut Lutherani verbi Præco, qui Lauffenſes vicinóſque corrumpebat, loco moveretur.

Anno 1590. 6. Martij, Bruntrutum acciti in partem laboris copioſi, P. Georgius VVitvveiler celebris concionator & P. Martinus Conradus; quorum deinde Bruntruto excurſionibus, concionibus, & Catecheticis Lectionibus in agro Lauffenſi repetitis, Dervvilenſes & Ettingenſes, Eccleſiæ fidem, poſtquam annos ſexaginta exulâſſet inde, revocârunt.

vocârunt, cùm 24. Maij ipſi ultro & ſponte Prædicantem amandari, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo petiiſſent. Eo igitur operæ pretio Patrum Societatis mirificè recreatus Iacobus Chriſtophorus, ſtabilem illis Bruntruti ſedem, unà cum cœtu Canonicorum Friburgi Briſgoiæ decimo quinto Octobris decernit, in ſpem Collegij conſtruendi proximam. Aptatis interim Patrum habitationi ædibus (quas ſponte conceſſerant Sacerdotes ad Divi Michaëlis) immigrant, 7. Martij 1591. ex arce Principis, ubi hactenus degebant. Apertus ſubinde ludus litterarius undecimo Octobris, cœptæque quatuor inferiores ſcholæ, donec anno ſequenti, aucto diſcipulorum & Magiſtrorum numero accederet Rhetorica. *Anno Chriſti 1588.*

Anno 1597. templi ſimul & Collegij impoſito primo lapide, auſpi-

Anno Christi 1597. catiſſimo operi bene precatus eſt Princeps fundator, oratione nervoſa ad frequentem populum, ea diſſerens, quæ ad loci & diei celebritatem faciebant. Tergiverſati primò cives diu multúmque, Principis conſilio ſe opponebant, ut qui eam domûs amplitudinem in urbe non magna ferre nollent. At ubi commotus Princeps edixit ſeriò, ſe forum & nundinas tranſlaturum Halam, pagum amplum & amœnum, cingendum etiam mœnibus, ibiq; Patribus Collegium & Gymnaſium à ſe excitandum, ad arbitrium ipſius ſe permiſerunt, nec ipſos facti pœnituit. Domum itaque incoluerunt Patres anno primùm 1604. 28. Auguſti. Templum conſuetis Eccleſiæ cerimoniis inauguravit Reverendiſſimus Suffraganeus D. Franciſcus Baër, rebus divinis operante Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo fundatore,

re, ut fieri potuit, apparatu maximo, quem præ cæteris cohoneſtârunt ſuâ præſentiâ undecim Canonici Baſileenſis Eccleſiæ Cathedralis, Generoſus Dominus Rudolphus à Bolvveyl Alſatiæ Gubernator, & ſeptem Catholicorum Cantonum Legati. Perfectis ita feliciter, quæ deſtinaverat, quaſi nihil reſtaret in terris optimo Principi, quod animum afficeret magis, glorioſam ſibi peperit immortalitatem, ad quam evolavit, virtutum & dierum plenus, pius, magnanimus, felix Princeps, 18. Aprilis, poſt horam octavam matutinam in arce Bruntrutana, anno Chriſti 1608. ætatis 66. Epiſcopatus 33. Poſt abſolutas defuncto, lugubri apparatu exequias, illatus eſt cryptæ, quam ſub ara Principe haud multorum capacem ſibi conſtruxerat, in illas olim cryptæ jocatus anguſtias; quietè jacere mortuos non exſpatiari *Anno Chriſti 1597.*

Anno Chriſti 1597. multùm, qui uno ſatis haberent loculo. Epitaphium ad partem aræ dextram appoſitum ſic habet.

Heic eſt ſitus
R.mus & Ill.mus Jacobus Chriſtophorus
Blarer à VVartenſee, Epiſcopus
Baſileenſis,
Qui cùm difficillimis temporibus
Epiſcopatum hæreſi, & alieno ære
Penè oppreſſum adiiſſet,
Eúmq; ſapientiâ & ſingulari conſtãtiâ
Locis pluribus, utróq; malo liberâſſet,
Ac fortunas eius
Ab avida inhiantiũ hæreticorũ manu
Admirabili prudentiâ vendicâſſet,
Frugaliſsimâ vitæ ratione opulentâſset,
Templum, Collegium, & Gymnaſium

Socie-

Societ. JESV feliciter ædificâſſet, *Anno Chriſti*
Liberalitérq; dotâſſet,
Vitam hanc cum meliore commutavit XIV. Calend. Maij, anno Chriſti M.DC.VIII. ætatis ſuæ LXVI. Epiſcopatus XXXIII.

GVILIELMVS 1608.
Rinck, à Baldenſtein.

Baſileenſis Epiſcopus.
LXIX.

IN oppido S. Vrſicini, anno 1608. plura Canonicorum ſuffragia (quibus colligendis, deputati Reverendiſſimus Pro Epiſcopus Baer, Abbates Lucellenſis & Bellelagienſis) Epiſcopatum regendum Guilielmo Rinck à Baldenſtein commiſerunt. Dies poſt electionem ritè peractam ſequentes ſacramento à ſubditis accipiendo ſunt occupati. Atque ubi per-

Anno Christi 1680. perſpectum habuit Diœceſis ſtatum, Anteceſſoris ſui veſtigiis, quàm proximè poſſet, inſiſtere & virtutis avunculi ſui Iacobi Chriſtophori hæredem ex aſſe genuinum ſe probare, apud animum conſtituit. Palmariam verò laudem promeritus eſt, religioſiſſimus Princeps, erectâ, & magna ex parte fundatâ Virginibus Vrſulinis domo, templo & ſcholis, quod ædificium venuſta potiùs mundities, quam magnifica & ampla ſtructuræ facies commendet. Mens erat optimo Principi, ut, quem admodum maſculæ juuentuti ſicut & virili maturitati Anteceſſor eius, per Societatis IESV Patres, providerat ſapienter, à quibus cum bonis litteris, pietate ac fide Orthodoxa inſtruerentur, aut in ea confirmarentur; ita & puellari ætati, ac ſequiori ſexui ſtudioſè circumſpexerat, ne deeſſent, à quibus intra privatos

tos

tos parietes familiariùs mores Chriſtianos excultos, & virtutem, ſcribere præterea & legere, acu pingere, atque alia conditioni ſuæ congrua edocerentur. Quam autem feliciter intentum ſuum aſſecutus fuerit, oſtendit, non ita multò pòſt, fructus inſignis, qui ex ſedula dictarum Virginum inſtructione & diſciplina conſecutus eſt. Et certè feminea quid poſſit virtus ad viros in officiò religionis continendos, vel ad pietatem impellendos, præſertim ubi hæreſis graſſatur contagio, millenæ compertum faciunt hiſtoriæ. *Anno Chriſti 1680.*

Ad Gymnaſium verò Patrum Societatis curæ addictum, ut ſuam & ipſe ſymbolam conferret, quæſtiones de fide controverſas exponi voluit, conſtitutis Profeſſori alendo ſumptibus, ita ut nova ſcholæ acceſſio ad Moralem Theologiam & Dialecticam, Gymnaſio inſigne af-

feiret

Anno Chriſti 1680. ferret ornamentum. Siquidem ex his ſcholis brevi tempore ſacris imbuti ſcientiis complures prodierunt, curandis parochiis perquam idonei ſacerdotes, totius Diœceſis emolumento ſingulari, quod in votis erat Principi, at, proh dolor! tumultibus bellicis immaturè diſturbatum.

Plura alia per Diœceſin admiſit religioſorum domicilia Guilielmus Princeps. Enſisheimij Patribus Societatis habitationem permiſit, quin & Patribus Capucinis Delſpergenſem Conventum unà cum templo non ineleganti auſpicatus erat; perfeciſſet etiam, ſi perficiendi ſpatium mors inopina conceſſiſſet. Antiquatis Baſileenſibus, Miſſale & Breviarium inſtituit per Diœceſin Romanum, collectis tamen in peculiare Menologium Diœceſeos ſanctis; meditatus præterea ritus Baſileenſis

Epiſco-

Epiſcopatus ad morem Romanum aptare. Sed, à Guilielmo non ita decerpi laudis materia debuerat, quin ſucceſſoribus aliquid ſupereſſet. *Anno Chriſti 1608.*

Quod publicum boni communis ſtudium ita promovebat Princeps, ut ante alios animum privatis religionis exercitiis excoleret. Perfrequens erat ad aram, non modò feſtis, ſed & profeſtis ac feriatis diebus, magno ſemper animi ſenſu rem divinam perficere ſolitus. Delectabatur comprimis bonorum, præſertim Aſceticorum librorum aſſidua lectione, quos de menſa publica & privata ab proprio Anagnoſte præ omni ciborum lautitia deguſtabat ſuaviùs, & aliàs per otium in multam ſæpe noctem lectitari attentè audiebat. Admiranda ſanè fuit illa ſollicitudo, quâ præclariſſimus Antiſtes ſubditos vitiis corruptos, aut hæreſi

Anno Chriſti 1680. hæreſi infectos ad frugem verámque Religionem ſtudebat reducere: qua in re ſuam utiliter locavit operam in pagó Alſchvvylenſi Baſileæ proximo, ex quo Prædicantem hæreticum abegit, & errantes oves bonus Paſtor ad reliquúum Eccleſiæ gregem reduxit feliciter, inchoata deinde ad exitum pleniorem perducente ſucceſſore.

Charitate in pauperes & egenos tantâ excelluit, ut integri mendicantium greges, ex vicinis remotíſque pagis & ex ipſa urbe certatim confluentes, pluribus ad portam arcis hebdomadæ diebus, largâ ſtipe donarentur.

Duodecim præterea, quandoq; plures ſtudioſos alebat in peculiari ſuburbij domo, ſubmiſſis liberaliter ex aula cibis, ut præter litterarum ſtudia, cantu & inſtrumentorum muſicorum peritiâ imbuerentur, ad

jucun-

jucundum in templis animandæ *Anno*
pietatis oblectamentum. *Chriſti*
1628.

Necdum erogandi ſatur, mandaverat inſuper deportari ſemel iterúmque per hebdomadem prægrandes ſaccos panibus plenos ad ſcholarum limen, diſtribuendos per Promocondum in tenuioris fortunæ ſtudioſos, nō promiſcuè quidem, ſed ut panum magnitudo diligentiorum æquaret merita, magno ad exacuendam alacritatem in ſtudiis ſtimulo, quo ſanè plures ingenui adoleſcentes emerſerunt ad lucem, qui reliquo vitæ decurſu è paupertinâ tribu obſcuri delituiſſent. Sacerdotibus quibuſvis eum deferebat honorem, quem ſacer ille meretur ſtatus. Si quos fortè citaverat, aut aliam ob cauſam, ad colloquium admiſerat, ſine adhortatione vehementi ad virtutes viro Eccleſiaſtico dignas, nunquam dimiſit: præſer-

Ann. Chriſt. 1628. tim verò caſtimoniam & ſobrietatem, quarum ipſe ſtudioſiſſimus erat, illis, quibus onus animarúmque cura incumberet, maiorem in modum inculcabat.

In his ſacro Principe digniſſimis virtutibus ſolerter obeundis & adhuc, dum maiora conciperet, incitatus vitæ decurſus metam attigit Bruntruti 1628. 23. Octobr. cùm biduo antè, die nimirum S. Vrſulæ, ſacris operatus, & poſt Auguſtam verborum formulam, elevando ſacram hoſtiam, inflexa genua, præ ſubiti morbi violentia, ſine miniſtrantium adminiculo erigere non potuiſſet. Annum ætatis attigerat 62. Epiſcopatûs 20. Funus proſecuti ſunt Cives Bruntrutani uberibus lacrimis, quibuſcum nimirum hactenus ipſi conveniſſet optimè; ſepultus deinde trigeſima menſis eiuſdem die pompa funebri in templo Societatis IESV

IESV in crypta avunculi Anteceſſoris, quâ ſepulturâ donari, multo ante mortem tempore, ab admodum Rever. Patre Societatis Præpoſito Generali ſcriptis litteris impetrârat. *Anno Chriſti 1628.*

IOAN. HENRICVS AB OSTEIN.

Baſileenſis Epiſcopus.

LXX.

SVffragia Canonicorum duabus factionibus, & numero utrimq; æqualia, neceſſe tandem fuit Arbitrorum judicio committere, facto in id, quod ſtatuerent, unanimi compromiſſo. Quâ ratione ſuper Ioannem Henricum ab Oſtein cecidit ſors, ſeu potiùs graviſſimum Epiſcopatûs pondus, iniquiſſimis prorſus gerendum temporibus, 27. die eiuſdem anni 1628. Et verò, remotiſſimum fuiſſe illum à dignitatis

Anno Chriſt 1628. huius prenſatione & ambitu, liquidò demonſtravit, fuſis ubertim, dum nominari ſe audivit lacrimis; ut ab amicis verba conſolatoria mœſtus acciperet, & ab ipſo quidem Nuntio Apoſtolico, qui tum fortè aderat, ad humeros oneri ſupponendos ægrè admodum induceretur: quamvis jam Epiſcopi prioris judicio, & munere digniſſimus habitus ſit, ab ipſo Vicarius Diœceſis conſtitutus. Quo ille perfunctus eſt officio, ſedulitate laudabili; idémque præſtitit in Præpoſitura Grandiſ-vallenſi, quam ſubinde abdicavit, Canonicis Baſileenſibus adſcriptus, ne tot beneficia, aiebat ille, Eccleſiaſtica, animum ſuum obruerent. Certè reluctantis ille dolor & fletus præſagium fuit ingentium malorum & calamitatum, quas Princeps optimus & eius ſubditi multis annis, ſanè deplorandas exantlavit.

Ob-

Obtentâ ſummi Pontificis confirmatione anno 1629. die 25. Nov. Bruntruti Epiſcopalibus inſignibus honeſtatus eſt à Reverendiſſimo Domino Ioanne Bernardo ab Angelloch Chryſopolitano Epiſcopo, & Suffraganeo Baſileenſi, cui proximam in ſacris ritibus operam jungebant Abbates, Lucellenſis & Bellelagienſis. Aderant huic quoque ſolennitati, admodum Reverendus Dominus Blarer Præpoſitus, aliique Cathedralis Eccleſiæ Canonici, perilluſtris Dominus Ioannes Erneſtus Fuggerus Comes, & Dominus in Bolvveyl, duo germani fratres eiuſdem Reverendiſsimi Principis, cum aliis præcipuæ nobilitatis hoſpitibus. *Anno Chriſti 1629.*

Primo itaque aditæ poteſtatis initio, molitus eſt opus hactenus fruſtra tentatum, aquæ videlicet fontanæ inductionem, tum in arcem,

 tum

Anno Chriſti 1615. tum in partem urbis editiorem. Iamque in eam rem peritorum artificum uſus induſtriâ, medio inde circiter milliari Germanico ſeptentrionem verſus, non procul à pago Courchauon, ubi multiplici ſcaturigine prorumpunt fontes, excavato colliculo eminentiore, quâ parte arcem ſpectat, ſubterraneus canalis procedebat ad medium uſque ſpatium ex ſententia; cùm ecce, turbo bellicus & inopina militis externi irruptio, aquæ & bene cœptorum curſum ſiſtit, ipſúmque Principem ad tutiora profugum agit. Feliciùs perfecit, quod Anteceſſor inchoaverat, & Numini ipſe initiavit Delſpergæ venuſtum templum, & Cœnobium Patrum Capucinòrum. Egiſſet alia immortali laude digna, niſi ſuâ detruſus ſede Bruntrutanâ vix ullo in loco tutus conſtitiſſet, ob Suecicum Gallicúmue militem, à quo

quo ſpecioſo Protectionis nomine, ita ſenſim attritus eſt & exhauſtus Epiſcopatus, ut proventibus omnibus quandoque per militem occupatis, ne ipſi Principi fruges ſuppeterent ad panem conficiendum, ſed ipſas ab Acatholicis mutuò petere cogeretur. Quibus adverſis diu multúmque conflictatus, animum ſervabat conſtantem,& in ipſa captivitate liberum, unâ in Deum fiduciâ ſe identidem ſolatus, & ſolenni illo ſuo ſymbolo, cui à pueris fere inſueverat, *Naſci, pati, mori; Providebit Deus,* vel eo etiam toties cum ſingultibus ingeminato pronunciato; *agere Deum ſinamus, adverſa ſecundant: per quæ tantò feliciùs in æternũ tranquillitatis portum invehimur.* Nec ſola eminebat in Principe Ioanne Henrico patientiæ virtus, quem totus reliquarum virtutum chorus *Anno Chriſti 1629.*

Anno Chriſti 1619. penitùs obſideret. Etenim exemplo ut omnibus, quotquot eius in Deum, ac Cœlites pietatem obſervare potuerunt. Piaculi loco duxiſſet Princeps, etſi graviſſimis quandoque divelleretur animus negotiis, ad officij Canonici recitationem, non addere Sanctorum preces Litaneuticas; Horas, etiam ut vocamus itémque precatoriam Corollam Virgini matri quotidie perſolvendam. Sed & quot hebdomadis, quoad licuit per valetudinis imbecillitatem, Sabbathinum jeiunium, ciborum abſtinentiſſimus Anachoreticâ prope auſteritáte ſibi indixerat.

Ex eo cum Deo familiari congreſſu profluebat utique ſuavis illa facilitas & manſuetiſſima cùm quibuſvis etiam vilioris conditionis hominibus agendi ratio, quos blando alloquio & menſæ accubitu, Religioſos maximè dignabatur: quos, & pau-

& pauperes eo proſequebatur teneritudinis affectu, ut, quantumvis per belli incommoda ad incitas ſe redactum videret, vereretur etiam, ne ſibi mortuo deeſſet, unde ſepeliri honeſtè poſſet; nihil tamen de conſuetis eleemoſynis detractum vellet; cui nempe ſatius eſſet virtutibus divitem eſſe, quàm amplo periturarum opum cenſu. His igitur, & ſacroſanctis juxta Eccleſiæ ritum ſacramentis omnibus præmunitus, ad extremam cum morte luctam, poſt Veſperarum penſum de S. Conrado Epiſc. & Conf. articulatè & peculiari, ut aliàs, in Divum ſenſu, perſolutum, ob repentinum virium defectum à præſenti medico in lectum componitur; quod dum fieret, ſanguine ex læſis pulmonibus copioſè erumpente ſuffocatus, abſque ſingulari doloris ſenſu extinguitur, Delſpergæ, 26. Novembris, anno Domi- *Anno Christi 1629.*

Anno Chriſti 1646. ni 1646. ætatis 67. Epiſcopatûs 22. Defuncti corpus in templo Patrum Capucinorum ante ſummum altare in choro ſepultum quieſcit. Obitûs dies triduum integrum, ſtudioſè admodum diſſimulata fuit, dum Canonici, qui Delſpergæ aut Baſileæ, partim alibi in viciniâ & ipſi à propriis extorres ſedibus in proximo ordinis S. Benedicti Beinvveylenſi monaſterio convenirent. Quo facto ſapienter præcavebant periculum non obſcurum, ne exterus quiſpiam, electionis oppreſſa libertate, contra antiqua Germaniæ & Epiſcopatûs Iura, Antiſtes intruderetur: cui malo, clanculariâ illa & feſtinatâ nemine alio in conſcientiam rei, quæ agebatur, admiſſo, obviatum eſt, promulgatato ſucceſſore, antequam de obitu conſtaret anteceſſoris.

BEATVS ALBERTVS à RAMSTEIN.

Anno Chriſt 1646.

Baſileenſis Epiſcopus. LXXI.

ANno 1646. 26. Novembris, electione Canonicâ ritè ſuffectus anteceſſori defuncto eſt Beatus Albertus in Beinvveylenſi, ut dictum ſuprà, Monaſterio. Natus is erat 14. Iulij, anno 1549. in Sundgoiæ caſtro VValtickoffen, ex nobili & pervetuſta Ramſteiniorum familiâ, ex qua trecentis abhinc annis Immerius Baro LIV. Epiſcopus Baſileenſem rexit Eccleſiam. Hic verò Beatus Albertus, abſolutis Bruntruti politiorum literarum, ac Romæ in Collegio Germanico Philoſophiæ Theologiæque ſtudiis, in patriam reverſus, inſigni cum morum & doctrinæ commendatione, anno circiter 1620. inter

Anno Chriſt. 1645. inter Cathedralis Eccleſiæ Vormatienſis Canonicos cooptatus, aliquot deinde annis Vicarij Generalis Officio, eâ diligentiâ & fervore perfunctus eſt, ut inter luſtrandam Diœceſin, ætati teneræ frequentiùs Catecheſin & prima fidei Rudiménta, raro ſanè exemplo, tradidiſſe perhibeatur. Poſt annos aliquammultos inter belli turbulentos motus, Baſileenſis Eccleſiæ Canonicus, exinde Cuſtos, denique Caput evadit. Quam honoris delationem, haud ſibi convenire affirmabat vir demiſſionis ſtudioſiſſimus, ſuámque luculentis deprehenſam indiciis vitæ brevitatem novis uſque gravem fore moleſtiis, ob repetendam mox ſui ſucceſſoris electionem. Et quia imminentis ſibi mortis non vanus erat vates, annatarum pecuniam impetrandæ Româ ſuæ confirmationi deſtinatam, in uſus meliores im-

impendendam aſſervari voluit ali- *Anno*
quamdiu, dum ſaltem melior illius *Chriſti*
potiundæ, ſe daret occaſio. Anno *1645.*
1651. ipſis Calendis Maij, in Epiſco-
pum conſecratus eſt, triennio antè
ſacerdotio initiatus, quod hactenus
differre graves ob cauſas oportuit.
Adeptus Principis ſacri ſublimem
adeo poteſtatem, præter aliorum
morem, ſigillo peculiari abſtinuit,
eoquod, aiebat ille, mortem vicinam
præſentiens, nullius ſigilli uſus ne-
ceſſarius foret, poſt ſignatum mortis
impendentis decretum.

Ingraveſcente poſtmodum Brun-
truti morbo, quantus eſſet in virtu-
tum cultu, nimis quàm manifeſta
exhibuit ſpecimina. Anteactæ vitæ
errata, ſi quibus adhuc necdum ſo-
lutis obnoxius eſſet, calentiſſimâ ani-
mi pœnitudine deteſtatus, palàm in-
ſuper proteſtatus eſt, ſi quid verbo-
rum vis morbi Chriſtiano homine,

Anno Chriſti 1046.

ne dicam, ſacro Principe indignum extorqueret, præter mentem id ſuam fore, vellétque fiduciâ erectum animum, divinis prorſus conformem nutibus ad ultimum vitæ anhelitum conſtanter retinere. Et quamvis protrahendę vitæ nullo teneretur deſiderio, paratus erat tamen, ſi Deo ita gratum foret, graviſſimos quibus afficiebatur, cruciatus, uſq; ad ipſum mundi excidum patienter tolerare, à terrenarum rerum affectu immodico adeo alienus, ut earum fieri mentionem, ſub ultimos vitæ dies non ſuſtinuerit, privatorum, de quibus ipſi diſponere integrum erat, bonorum partitione relictâ conſanguineis; quibus tamen animorum coniunctionem impenſè commendaret. Morti Cœlóque jam proximum de mundi quiſquiliis nihil ſollicitum tenebat, multíſque jam antè fatigatum curis, ut æris alieni pondus

dus ab Epiſcopatu removeret; quem in finem, moderatiſſimo ſumptu vitam ſuſtentare aſſueverat, ſed nulli magis, quàm ſibi parcus. *Anno Chriſti 1646.*

Biduo ante mortem, ſe jam in fatali articulo verſari ratus, contentiori nonnihil voce quinquageſimũ Davidis pſalmum protulerat. Monitus abeſſe periculum, veniam deprecatus eſt moleſtiæ, quam ſuis dediſſet clamoribus. Quæ animi demiſſio de ſe abiectiſſimè ſentientis admirationi fuit. Indignum ſe aiebat Epiſcopi officio, & morte forſan ideo maturatâ hinc evocari; quòd incautiùs admittere non veritus eſſet, tantum onus, id à ſe amoliri certus, ſi vitæ longiori uſurâ frui liceret. Inſomnis propè jacuit ſemeſtri, & tamen nulli famulorũ moleſtus preſſâ morbi violentiâ per ferream patientiam, ne tædio eſſet, & de nocte ſuis quietem abrumperet.

Anno Chriſti 1646. Aliquot ante obitum hebdomadis, feſtis & Dominicis diebus ſingulis, Angelico pane reficiebatur, rem divinam ipſe quotdiebus conficere ſolitus, quamdiu paſſa eſt virium tenuitas. Sacro inunctus oleo, die S. Laurentij, peroptabat ex hac mortali in meliorem migrare vitam die Virgini matri in Cœlum receptæ ſacrâ, voti ſui pietatem novo graviſſimorum cruciatuum acceſſu redimere paratus. Prorogatâ ultra votum vitâ, fatiſcere cœperunt vires 25. Auguſti, divinóque viatico ad iter Cœleſte præmunitus inter virtutum heroicos actus, & ferventes ad Deum precatiunculas, Chriſti è cruce pendentis imaginem arctè complexus eſt, animi in Divinum amorem colliqueſcentis affectu, quo potuit, contentiſſimo, ac tum, poſt cereum petitum ſuæ ad Deum fidei accenſæ ſymbolum, loquendi uſu deſtitutus

ſtitutus, ſuppoſitâ capiti ſiniſtrâ, placidum mortis ſomnum obdormiit, anno Chriſti 1651. cùm quatuor, non ampliùs, annis, & menſibus novem, Cathedræ Baſileenſi præſediſſet. *Anno Chriſti*

IOANNES FRANCISCVS à SCHÖNAVV. 1651.

Baſileenſis Epiſcopus. *LXXII.*

HOc ipſo, quo Anteceſſor obiit, anno 1651. die 18. Septembris, à Cathedralium Baſileenſium Canonicorum Collegio, Delemonti oppido Diœceſano, more legitimo, in Epiſcopalem ſedem ſuffectus eſt Ioannes Franciſcus, ex pervetuſta Schônovvienſium Nobilium familia oriundus. Fuit is à prima ætate bonis moribus ac litteris in ſcholis Patrum Societatis, Bruntruti, Friburgi Helvetiorum, & Lucernæ (dum bella

Anno Chriſti 1651. in Imperio ferverent) optimè inſtitutus. Romæ in Collegio Germanico, Philoſophiæ & ſacræ Theologiæ curriculo emenſo, ad patrios Lares reverſus, mox Eiſtettenſis, deinde Baſileenſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicis adſcriptus eſt. Illius poſtea Eccleſiæ Decanus, totam Diœceſin, exulante Epiſcopo interea, inter Suecicos tumultus magnâ induſtriâ & felicitate adminiſtravit, potiori ex parte, ab interitu conſervavit. Eodem tempore ad Baſileenſem Præpoſituram in locum defuncti Guilielmi Chriſtophori Blareri vocatus, & paulò pòſt eiuſdem Eccleſiæ lectus Antiſtes, ingenti gratulatione, & ſubditorum applauſu exceptus eſt. Quo in munere nihil prius habuit, quam ut ſubiectum ſibi populum & provinciam in ſecuritate, & ab hoſtium incurſibus indemnem conſtitueret. In hunc finem cogitaverat

taverat non modò antiquum cum Catholicis Cantonibus Helvetiæ renovare fœdus, ſed illud quoque ad ceteros eiuſdem gentis Acatholicos, ut ditioni ſuæ viciniores extendere. Quæ res æmulis quibuſdam occaſionem præbuit, bonum Principem traducendi apud ſedem Apoſtolicam; quaſi fœderis illa extenſio in detrimentum fidei Orthodoxæ vergeret, non parùm quoque ipſis Catholicis Cantonibus obfutura. Quæ perſuaſio ſanè præpoſtera, id effecit Romæ, ut electi Principis confirmatio ultra ſeſquiannum differretur; donec ſummus Pontifex hac de re diſertiùs edoctus, intelligeret, fœdus illud, eò ſolùm ſpectare, ut à patriæ finibus propulſarentur hoſtes, ſalvâ ſemper religionis integritate. Atque ita demum obtenta confirmatione, anno 1653. die 15. Iunij, quæ fuit Dominica ſecunda poſt Pente- *Anno Chriſti 1651.*

Anno Chriſti 1651. coſten, ſolenni ritu Epiſcopus in templo Patrum Societatis IESV conſecratus à Reverendiſſimo Domino Thoma Henrici,. Epiſcopo Chryſopolitano, Baſileenſis Eccleſiæ Suffraganeo, & Decano, ac ad S. Vrſicinum Præpoſito, aſſiſtentibus Reverendiſſimis Lucellenſi & Beinvvilenſi Abbatibus, in frequenti admodum, Canonicorum, Nobilium, Procerum, ac populi coronâ, applaudente Civitate & Provincia. Rexit Eccleſiam annis quinque, menſibus duobus, induſtriâ ſingulari, temporibus cæteroquin admodum difficilibus. Fœdus olim cum ſeptem Orthodoxis Helvetiæ Cantonibus initum renovavit, uno ante obitum ſuum anno, cum iiſdem ſolenniſſimo apparatu, in quo conſecrationem Epiſcopalem acceperat, templo Societatis IESV, præſente incredibili, Nobilium, vulgariúmq; homi-

hominum multitudine. Fuit magni & excelſi vir animi & judicij: in negociis pertractandis accuratus, fortis & conſtans in exequendis, Eccleſiaſticæ ſimul & politicæ virtutis ſcientiſſimus, Diverſis in locis ſuæ Diœceſis publicè ipſemet de ſacro ſuggeſtu, mirificâ eloquentiâ & fervore ad populum peroravit, magno omnium ſenſu, cùm fortè templa Numini conſecraret illic, aut certè Diœceſis ſuæ loca luſtraret. Hoſpitalitatem, liberalitatémque erga omnes impenſè coluit, maximè verò erga Religioſos & egenos, quibus ſe larga ſanè munificentiâ ſæpius beneficum exhibuit, ſuis etiam ipſe manibus, dum iter ageret, obvios pauperes dono aliquó beare piè delectatus; ut meritò egenorum Pater audierit. Patres Capucinos Bruntrutum induxit, ſub ſpe Cœnobij, loco arci contiguo, proximè exci- *Anno Christi* 1051.

 tandi.

Anno Chriſt. 1651. tandi. Quam Principis voluntatem, pari utique affectu proſequetur Succeſſor. Epiſcopatus reditus, novis auxit ferri-fodinis non procul Bielâ, ad Schuiſſam torrentem, erectâ illic magnâ ſanè & opportuniſſimâ liquando & tundendo ferro officinâ. Gymnaſium litterarium, Bellonæ iniuriâ, ruinæ proximum, multis ſumptibus reſtauravit, extructo in eius aula ad res Comicas magnifico theatro. In arce verò ſua Bruntrutanâ, tum antiqui ædificii ſtructuram, tum ipſum Principis ſuperius Conclave in novam elegantémque formam redegit, fontem aquæ ſalientis ad arcis atrium induxit, longè plura voluens animo, ſi Deus ei vitam (quod omnes boni optâſſent) in plures annos prorogâſſet; ut virtutum exempla, quibus prælucere cœperat, diutius continuaret. Quid à cordato Principe

ſpera-

ſperare poſſent fœderati, ſat ſuperque demonſtravit ipſe, vitam unà cũ fortunis omnibus, religionis & datæ fidei cauſâ poſiturus. Mira prorſus enituit illius pietas in Deum, & Cœlites Patronos, ac longè maximè erga Deiparam Virginem ſanctiſſimam, cuius dies feſtos omnes arcto diei præcedentis jeiunio, ſolenni conſuetudine obſervari mandavit: quod temperantiæ & afflictationis genus aulæ toti commune voluit. Diem Veneris inſuper, quot-hebdomadis unica contentus refectione tranſigebat. Certè quàm durus & immitis in ſuum corpus extiterit, contorti in nodos funiculi, & rubens ſanguine cilicinum cingulum exhibent, quæ dorſo ſuo validè & ſæpe incuſſerat. Ad Breviarij penſum, incredibile dictu eſt, quot ille preces, & rerum Cœleſtium pias commentationes adiungeret, non *Anno Chriſti 1651.*

Anno Chriſti 1651. privatim modò,ſed & publicè; cùm præſertim ſupplicationibus,aliiſque celebritatibus intereſſe cõſuevit, decentiſſimâ corporis maieſtate omnium animos ad ſimilem pietatis ſenſum impellens. Albo diverſarum Sodalitatũ adſcribi voluit, B. Virginis, & Venerabilis Sacramenti maximè, cuius honori propagando,nulli labori, ſed nec ſumptibus pepercit, ut id Sodalitium, in quo Præfecti officio fungebatur, cultu Numinis Euchariſtici excelleret: quam ille ob cauſam diploma impetravit Româ, quo Romanæ uniretur Congregatio de Venerabili Sacramento Bruntruti erecta. His aliiſque plurimis animi dotibus eximiis prædit us erat Epiſcopus Ioannes Franciſcus: corpore adhæc robuſto, ſed interiorum humorum defluxionibus admodum obnoxio. Quo malo, poſt hauſtas æſtate mortem præ-

præcedente acidulas, in peius augeſcente, propter exulcerationem pedum, lecto ſe aliquamdiu continere coactus eſt. Contractâ poſtremis diebus gangrænâ, & pedum inflammatione ad interiora ſe recipiente, ſubita & improviſâ ſyncopâ vel Apoplexiâ correptus, in arce ſua Bruntrutana occubuit, conſcientiâ, quam aliàs teneram habebat, priùs ſollicitè & optime, ut ſperamus, diſpoſitâ, 30. Novembris, anno 1656. Octiduo pòſt in templo PP. Societatis IESV, Bruntruti infra ſummum altare, in crypta Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Fundatoris Blareri, tumulatus, rogatu Adminiſtratorum, temporis anguſtiis non permittentibus eam Româ petere licentiam. *Anno Christi 1656.*

[+]

Anno Chriſti 1656.

IOAN. CONRADVS à ROGGENBACH.

Baſileenſis Epiſcopus. *LXXIII.*

IN te Ioannes Conrade Princeps Reverendiſſime & Illuſtriſſime, noſtra finem capit Baſileæ ſacræ breviſſima ſynopſis, ubi tu primùm ſub Infulis Baſileenſibus copioſiores virtutum tuarum radios advibrare incœpiſti; quarum magnitudinem non aliquot pagellarum, ut ſperamus, ceperit brevitas. Gratior eſt, ubi ſua incrementa abſolverit luna, ubi tota ſplendet, quàm ſi radiantē ſolū ſuis diminutionibus aut incrementis oſtentet faciem. Ita Princeps Illuſtriſſime, tua merita in lucē prodibunt tunc longè ſplendidiora, cùm bonus Deus, (ita vovemus) incre-

menta

menta dederit, & quod in te cœpit, abſoluto vitæ tuæ circulo, perfecerit. Interim vive Princeps, Deo, tibi, & populo, diu, & bene. *Anno Chriſti 1656.*

SERIES

SERIES
RAVRACENSIVM
ET
BASILEENSIVM
EPISCOPORVM.

1. *Juſtinianus.* pag. 13.
2. *S. Pantalus Mart.* 15.
3. *Adelphius.* 33.
4. *Rachnacarius.* 89.
5. *VValanus.* 101.
6. *Baldebertus.* 102.
7. *Heico.* ibidem.
8. *VValdo.* 103.
9. *Hetto, ſive Heyto, aut Otho.* 105.
10. *Theodericus I.* 110.
11. *Udalricus I.* 111.
12. *VVichardus.* 113.
13. *Fridebertus.* 114.
14. *Adelinus, aut Adelvvinus.* 115.
15. *Rudolphus I.* 118.

16. Iringus

16. *Iringus ſive Fringus.* 120.
17. *Adalbero I.* 121.
18. *Landolus ſive Landeolus.* 123.
19. *Guilielmus I.* 125.
20. *VVichardus II.* 129.
21. *Landeolus* II. 129.
22. *Rudolphus* II. 130.
23. *Gebizo ſeu Gebzo.* 136.
24. *Adalbertus ſive Adalbero* II. 139.
25. *Udalricus* II. 148.
26. *Bruno.* 151.
27. *Theodoricus* II. 152.
28. *Beringerus.* 167.
29. *Burcardus ab Haſenburg.* 169.
30. *Rudolphus III.* 177.
31. *Ludovicus* I. *Comes à Pfirt.* 187.
23. *Fridericus.* 190.
33. *Berchtoldus I. ſeu Bertolfus, Comes Neoburgenſis.* 191.
34. *Adalbero* III. *Comes à Froburg.* 195.
35. *Ortliebus Comes à Froburg.* 197.

36. Lu-

36. *Ludovicus* II. *à Gervvart.* 209.
37. *Hugo, Baro ab Haſenburg.* 212.
38. *Henricus* I. *ab Hornburg, Baro ex VVirtembergia.* 213.
39. *Lutoldus* I. *Baro in Röttelen.* 215.
40. *VValdricus.* 218.
41. *Henricus* II. *Comes Thunenſis.* 220.
42. *Lutoldus* II. 228.
43. *Berchtoldus* II. *Comes à Tfirt.* 230.
44. *Henricus* III. *Comes Neoburg.* 237.
45. *Henricus* IV. *ab Iſna, ſeu Iſenheimio Franciſcanus.* 243.
46. *Petrus* I. *à Reichenſtein.* 250.
47. *Petrus* II. *ab Aſphelt ſive Aſpelt.* 253.
48. *Otho* II. *à Grädſé, Baro Burgũdus* 256
49. *Gerardus à VVippingen.* 262.
50. *Joannes de Cabilone ſeu de Chalõ.* 266
51. *Joannes* II. *de Senna.* 270.
52. *Joannes* III. *de Vienna.* 275.
53. *Joannes* IV. *Baro à Bucheck.* 280.
54. *Immerius Baro à Ramſtein.* 281.

55. *Fride-*

55. Fridericus II. à Blanckenheim. 284.
56. Conradus Mônch à Landskron. 287.
57. Humbertus de Novo-caſtro. 289.
58. Hartmannus Mônch à Mônchen-
ſtein. 294.
59. Joannes V. à Fleckenſtein. 298.
60. Fridericus III. Ze Rhein. 306.
61. Arnoldus à Rothberg. 322.
62. Joannes VI. à Veningen. 327.
63. Caſparus Ze Rhein. 339.
64. Chriſtophorus ab Utenheim. 345.
65. Rudolphus ab Halvveyl. 361.
66. Philippus Franco à Gundelsheim. 362.
67. Melchior à Liechtenfels. 372.
68. Jacob. Chriſtophorus Blarer à VVar-
tenſee. 377.
69. Guilielmus Rinck à Baldenſtein 395.
70. Joannes Henricus ab Oſtein. 403.
71. Beatus Albertus à Ramſtein. 411.
72. Joannes Franciſcus à Schônavv. 417.
73. Joannes Conradus à Roggenbach. 426.

INDEX
NOMINVM ET RERVM.

A

Academia Baſileenſis, pag. 327
Adalbero I. Baſileenſis Epiſc. 121
Adalbero II. Baſileenſis Epiſc. 139
Adalbero III. Baſileenſ. Epiſc. 195
Adelheidis 127
Adelinus ſive Adelvvinus Baſil. Ep. 115
Adelphius Rauracorum Epiſc. 33
Alexander III. Pont. 211
S. Albani Prioratus Baſileæ 171
Altkilcha, ſive Altkirchium, 184. & 189
S. Amarinus ſive Marinus Mart. 98
Amedeus Dux Sabaudiæ ſive Felix V. Pſeudo-Papa 310. & ſeq.
Arnoldus Baſileenſis Epiſc. 322. & ſeq.
Arnulphus Auceps Imperator 82
Arnulphi Victoria 119
B. Arnulphus Metenſis Epiſc. 64. & 74
Attila Hunnorũ Rex 24
Aventicum & Aventicenſes Epiſcopi 47
Auguſta Rauracorum everſa 12
Auguſtiniani Eremitæ, 244
Eiuſdem ordinis Moniales. ibid.
Canonici Regulares 196

B.

Baſilea condita 22 & 47
Baſileæ incendium 235
Baſileæ terræmotus 272. fames, ac peſtis. 309.
Eius à fide defectio. 365
Baſileenſe Concilium. 301. & ſeq.
Baſileenſium bella. 314 315. 316.
Baſileenſium fœdera. 313. 342.

Balde-

Baldebertus Baſileenſis Epiſc. 102
S. Beatus Rauracis Chriſtum prædicat. 5
Bellelagienſe Monaſterium. 206. & ſeq.
Bellum Ruſticum. 353
Benedictini Patres de Rauracis optimè meriti. 33. & 92
Beinvvilæ Monaſterium. 192
Benno Metenſis Ep. 123
Berchtoldus I. ſive Bertolfus, Baſil. Ep. 191
Berchtoldus II. Baſil. Epiſc. 230
Beringerus Baſ. Ep. 167
S. Bernardus. 192. & 202
Bernenſium à fide defectio. 364
Bertha Regina. 43. & 126
S. Blaſij Monaſterium. 133. 145. 192.
Biela & Bielenſes. 46. 276. & 371.
Briſacum, olim feudum Baſil. Ep. 231. 234. 269.
Brunichildis Regina Burgundiæ 50. & 90
Bruno Baſil. Ep. 151
Burcardus ab Haſenburg. Baſ. Ep. 169
Bruntrutum obſidetur & capitur. 246. oppignoratur. 283
Burgundia Imperio adiuncta. 150. & 252
Burgundici Regni amplitudo. 151

C.

Carolomannus. 61
Carolus Andegavenſis. 235.
Carolus Audax. 334. & ſeq.
Carolus Craſſus. 44. & 82.
Carolus Parmenſis Pſeudo-Papa. 168
Carolus V. 348. & 349.
Carolus VII. Galliæ Rex Helvetios cædit. 314
Carthuſia Baſileenſ. 295
Caſparus Ze Rhein Baſ. Epiſc. 339
Cathicus. 68
Celtarum populi. 3
Childericus Rex. 93
Chriſtophorus ab Vtenheim Baſ. Ep. 345

ClariſſæBaſileenſes. 244
Clodovæus Rex Franciæ. 31
Clotharius Rex Francorum. 90
Colmaria. 376
S. Columbanus. 50. & 89.
S. Conradus Conſtant. Epiſc. 135
Conradus Burgundiæ Rex. 82
Conradinus Dux Sueviæ. 235
Conradus Mönch Baſ. Epiſc. 287
Conſtantienſe Concilium. 292
Cothalmundus. 69
S. Crucis Monaſterium 164.

D.

Dagobertus Rex. 79. & 92.
S. Dominicus & eius Ordo 221. & 222
Danfereux pagus 38

E.

Eberhardus Dux Sueviæ. 94
Eucharius Ep. miſſus ad Rauracos à S. Petro. 4
Eugenius IV. Pont. 301 & ſeq.
Eraſmus Roterodamus. 352.
S. Euſebius Biſuntinus Epiſc. 11
S. Euſtachius ſive Euſtaſius Luxovienſis Abbas. 89

F.

Felix V. Pſeudo-Papa. 310. & ſeq.
Ferretum, *vide* Pfirt.
Franciſcani Baſileæ admiſſi. 223 & 224
S. Fridolinus Rauracos inſtruit. 34
Fridebertus ſive Fredebertus Baſ. Ep. 114
Fridericus Ænobarbus ſive Barbaroſſa. 201. & 213.
Fridericus I. Baſ. Ep. 190
Fridericus II. à Blanckenheim Baſ. Adminiſtrator. 286
Fridericus III. Baſil. Epiſc. 304

Gebizo

G.

Gebizo, ſive Gebhardus, Baſil. Epiſc. 136.
Gerardus à Wippingen Baſ. Epiſc. 262
S. Germanus Mart. 62. & ſeq.
Germani à Clodovæo victi. 31
Giſila ſive Giſela. 128
Grandiſ-vallis Monaſterium, & eius in Eccleſiam Collegiatam Canonicorum mutatio. 84. & 85.
Guido de Crema, ſive Victor Pſeudo-Papa. 211.
Gundonius Grandemvallem donat Benedictinis 67

H.

Hartmannus Baſ. Ep. 294
Heico Baſ. Ep. 102
S. Helena. 11
Helvetiorum fœdus. 342
Hermengardis Regina. 83.
Hermannus Contractus 146.
S. Henricus Imperator, & eius in Eccleſiam Baſil. liberalitas. 140. 141. & ſeq.
Henricus ab Hornburg, Baſ. Ep. 213
Henricus Comes à Thū. Baſ. Ep. 220
Henricus Comes Neoburgenſis Baſil. Ep. & eius bella, & emptiones. 237. 239.
Henricus ab Iſna Baſil. Ep. 243
Hetto ſive Otho, Baſil. Ep. 105
S. Hilarius Biſuntinus Epiſc. 11
S. Himerius. 38. & ſeq.
Hugo ab Haſenburg Baſil. Ep. 212
Hungarorum bella, & irruptiones. 124
Hunni. 18. & ſeq.

I.

Iacobus Chriſtophorus Blarer à Wartenſee, Baſ. Ep. 377
Immerius à Ramſtein, Baſ. Ep. 281

Imperium Germanicum factionibus ſciſſum. 131.
Ioannes Eckius. 354
Ioannes de Cabilone ſive de Chalon Baſil. Epiſc. 266
Ioannes de Senna, Baſ. Epiſc. 270. & ſeq.
Ioannes de Vienna Baſ. Ep. 275. & ſeq.
Ioannes Baro à Bucheck Baſ. Ep. 280
Ioannes à Falckenſtein, Baſ. Ep. 298
Ioannes à Veningen, Baſ. Ep. 327
Ioannes Henricus ab Oſtein, Baſ. Ep. 403
Ioannes Franciſcus à Schönavv, Baſ. Epiſc. 417.
Ioannes Conradus à Roggenbach, Baſil. Epiſc. 426
Irenæus Lugdunenſis Epiſc. 9
Iringus ſive Fringus Baſ. Epiſc. 120
Iuſtinianus I. Rauracorum Ep. 13

L.

Landolus I. ſive Landeolus Baſ. Ep. 123
Landolus II. Baſileenſ. Epiſc. 129
Lateranenſe Concilium. 221
Lauſanneſes Epiſcopi, antè Aventicenſes. 48.
Leo IX. Alſata. 154. & ſequentibus.
Leo X. Pont. 349
S. Leonardi Parochia. 196.
S. Linus Pont. 9
Lotharius. 81
Lucellenſe Monaſterium. 192
Ludovicus Bavarus Imper. 264
Ludovicus I. Baſ. Epiſcop. 187
Ludovicus II. Baſ. Epiſcop. 209
Lutoldus I. Baſ. Ep. 115
Lutoldus II. Baſil. Epiſcop. 228
Luxovienſe Monaſterium. 66

S. Ma-

M.

S. Marinus ſive Amarinus Mart. 95
S. Mariæ Magdalenæ Cœnobiũ Baſileæ. 172.
Martinus V. Pont. 293
Martinus Lutherus. 349
S. Maternus ad Rauracos miſſus. 4
Maximilianus I. & eius bella, ac fœdus cum Helvetiis. 342. & ſeq.
S. Maximinus Biſuntinus Ep. 10
S. Meinradus, & eius Martyrium 108
Melchior à Liechtenfels Baſ. Ep. 372
S. Modoaldus Trevirenſis Epiſc. 76. & ſeq.
Mülhuſianum bellum. 329.
Murbacenſe Monaſterium. 94. & 98

N.

Nicolaus de Diesbach, Adminiſtrator Baſil. 351. & 359.
Nicolaus V. Pont. 317
Nicolaus de Rupe. 331

O.

Oecolampadius. 351. 356
Oelenbergenſe Monaſterium. 164
Otho I. Imp. 129. 130. 131
Otho Campaniæ Comes. 149.
Otho à Granſe Baſil. Epiſc. 256

P.

S. Pantalus. 15
S. Panchårius, ſive Pancratius Biſunt. Ep. 12
Paterniacum in Aventicis. 117
S. Paulinus Biſuntinus Epiſc. 10
S. Petrus Diſcipulos in Germaniam mittit. 4
Petrus à Reichenſtein, Baſil. Ep. 250
Petrus ab Aſpelt, Baſil. Epiſc. 253
Pfirtenſes Comites. 226 227. 265. 268.
Philippus Franco à Gũdelsheim Baſ. Ep. 362
Pipinus Galliæ Rex. 61. 101.
S. Pirminus, Meldenſis Epi-

Epiſc. 94
S. Proiectus Mart. 95

R.

Rachnacarius Baſ. Epiſcop. 89
S. Randoaldus M. 71
Ranckvilla. 32
Raymundus Cardinalis 346.
Reginbert⁹ monaſterii S. Blaſij fundator. 134
Rheinfelda. 321
S. Romarici monaſterium. 64
Rudolphus Habſpurgicus Imperator. 240 246. & ſeq.
Rudolphus I. Burgundiæ Rex. 117
Rudolphus III. Burgundiæ Rex. 61. & 83
Rudolphus IV. Burgundiæ Rex ditat Epiſcopatum Baſ. 137. & 149.
Rudolphus I. Baſ. Ep. 118
Rudolphus II. Baſ. Epiſcop. 130
Rudolphus III. Comes ab Honberg, Baſil. Epiſc. 177
Rudolphus ab Halvveil Baſ. Ep. 361

S.

Sequani inferiores, ſive Sundgoij. 2
Sigebertus Auſtraſiæ Rex. 64
Sigiſmundus Imperator 293.
Sigiſmundus Archidux & eius bella. 330. 331. 336. & ſeq.
S. Simpertus. 112
Societatis IESV Patres Bruntruti admiſſi. 388
Solodorum. 126
Sulzbergenſe monaſterium. 137
Suſinga. 41

T.

Thannenſis Eccleſia. 97
Telamontius Suffraganeus Baſ. deficit à fide. 353
S. Theobaldus. 99
Theodoricus Rex Burgundiæ. 50. & 90
Theodoricus I. Baſ. Epiſc. 110

Theodo-

Theodoricus II. Baſil. Epiſc. 172
Triburienſis Synodus. 120

V.

Valbertus ſive Valdebertus Abbas Luxovienſis. 66
Valerius Diaconus Rauracis Chriſtum prædicat. 4
Veſontio. 7
Veſontinenſes Epiſcopi Rauracis olim præerant. 7. & 8
S. Vdalricus, Auguſtanus Ep. 134
Vdalricus I. Baſ Ep. 111
Vdalricus II. Baſ. Epiſcop. 148
Vdalricus Zvvinglius. 356.
Victor Pſeudo-Papa. 201.
S. Vrſicinus. 50. & ſeq
S. Vrſulæ & Sociarum Martyrium. 26
Vrſulinarum Virginum inſtitutum & admiſſio Bruntruti. 396
Walanus Baſ. Ep. 101
Waldo Baſ. Ep. 103
Waldricus Baſ. Ep. 218
Wichardus Baſ. Ep. 113
Wichardus II. Baſ. Epiſcop. 129
Wolfgangu Capito 349

FINIS.

ERRATA

Pag.	Verſu.	Lege	Pag.	Verſu.	Lege.
10.	19.	297.	192.	22.	Eremi.
45.	4.	ditionis.	207.	2.	anfractibus.
48.	2.	Lauſannenſes.	212.	11.	ſuperſtes.
50.	19.	pelleretur.	214.	3.	luctu.
72.	11.	Randoaldus.	233.	16.	Conventui.
78.	5.	ergo.	241.	14.	vendiderat.
83.	3.	Septemviris.	259.	17.	Præfectum.
88.	3.	ſecretior.	268.	11.	1316.
88.	15.	Metamorphoſin.	275.	15.	attribuerent.
96.	13.	Eccleſiæ.	284.	12.	Fridericus II.
108.	12.	excoluit.	284.	13.	Blanckenheim.
117.	6.	obnitente.	302.	9.	contumacia.
119.	17.	redintegratis.	308.	penult.	Baſileæ.
128.	14.	Sueviæ.	324.	5.	Petri.
129.	16.	tempore.	327.	1.	Ioan. VI.
135.	5.	coniunctiſsimus.	345.	8.	Chriſtophorus.
135.	17.	gratulatione.	348.	21.	geſtorum.
156.	7.	Hermanno.	357.	12.	reſponderunt.
166.	9.	oculis.	358.	17.	partem.
167.	14.	recitare.	360.	6.	inſculptum.
168.	7.	Epiſcopos.	371.	14.	ab.
177.	1.	Rudolphus III.	374.	2.	donâſſent.
177.	17.	nii.	388.	7.	totum.
180.	11.	ſui.			

A01 1669921